BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Newton, Henry

Epistolae, Orationes et Carmina

Luca 1710
4 Epist. 126 l
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10352261-5

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

10352261

4° Gipsi. 126 L

Z.L.38

...ationi publicae...

...LIGAE ... FRANCISCUS PRAETOSITUS S.SALVATO... POLITIS...

AD BIBLIOTHECAM
IBIDEM.

Emi Liburni A. D. H. MDCCXVIII. m. Decembre

HENRICI NEVVTON EPISTOLÆ ORATIONES, *ET CARMINA.*

10352261

HENRICI NEVVTON

SIVÈ

DE NOVA VILLA,

SOCIETATIS REGIÆ, LONDINI,

Arcadiæ Romanæ, Academiæ Florentinæ,

Et ejus quæ vulgò vocatur della Cruſca,

SOCII,

EPISTOLÆ,

ORATIONES, ET CARMINA.

Poſteris, an aliqua cura noſtri neſcio: nos certè meremur ut ſit aliqua, non dico ingenio, (id enim ſuperbum) ſed ſtudio, ſed labore, & reverentia Poſterorum.

Plin. in Ep.

LUCÆ, Typis Dominici Ciuffetti. MDCCX.)(*Sup. Permiſſu.*

10352261

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

INDEX
EPISTOLARUM.

Lucæ Albizio. 11. 18.
Carolus Aldrich Henrico Newvton. 70. *Carolo Aldrich.* 71.
B. Averanio. 7. 24. 37. *idem Henrico de Nova Villa.* 23.
J. Averanio. 40.
P. H Barcellino. 4. 10. 13. 21. 25. 26. 28. 29. 32. 34. 36. 38. 41. 42. 44. 46. 48. 50. 51. 55. 62. 63. 65. 68. 75.
Columbino Basso Vallis Umbrosæ Abbati. 47.
S. Bianchio 31.
Calixto Tragurienſi. 43.
Alphesibœo Cario Arcadiæ Custodi 65.
S. I. Cavallio. 22.
J. Clerico. 20. 60. 64. 72.
G. Cupero. 14. 33. 52. 53. 69. 76.
F. M. Duccio. 19.
Eugenio Principi. 12.
J. Fontanino. 35.
G. Grandus Henrico Newvton. 57. 77.
Guidoni Grando 58.

L. Ma-

INDEX EPISTOLARUM.

L. Magalotto Comiti 27. 59.
A. Magliabechio 25. 17. 54. 56.
N. N. 39.
D. Passioneio . 8.
G. Polhil. 3.
J. Regalio 15.
C. Roncagliæ 78. 79.
A. M. Salvino. 9. 20. *Salvinus Henrico de Nova Villa.* 67.
P. F. Sanio. 6. 16.
J. J. Scheuzero 61. 74. *idem Henrico de Nova Villa* 73.
Domino Johanni Sommero. 1. 49.
JJ. Urso Marchioni. 45.

IN

IN EPISTOLIS.

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 1767. lin. 10. ne	l. me
pag. 179. lin. pen. ſemprer	l. ſemper
pag. 201. lin. 11. Reveritiſſimo	l. Reverendo admodùm

IN ORATIONIBUS.

pag. 5. lin. 21. nedum	l. nedum
pag 10. lin. 12. inuriis	l. iniuriis
pag. 11. lin. 12. homicidię Proditori	l, homicidæ [Proditori]
pag. 12. lin. 9.10.Proditor homicida	l. [Proditor] homicida
pag. 15.	l. 3.
ibid. lin. Brittannia	l. Britannia
ibid. lin. Phæbus	l. Phoebus
pag. 16.	l. 4.
ibid. lin. Brittannia	l. Brittanniam

IN CARMINIBUS.

pag. 13. lin. 6. Palati	l. Palati
pag. 20. lin. 2. coleris	l. colèris
pag. 27. lin. 2. Mylano	l. Mylliano
pag. 45. lin. 2. obice	l. obiice
pag. 47. lin. 20. Erroriſque	l. erroreſque
ibid. lin. 24. ſitnæ	l. ſitne
pag. 51. lin. 1. obiex	l. obex.
pag. 53. lin. 1. Procuſtes	l. Procruſtes
ibid. lin. 19. Cipri	l. Cyſpri
pag. 58. lin. 18. haud quaquam	l. haudquaquam
pag. 63. lin. 6. videx	l. vindex.
pag. 63. lin. antepen. Dedalus	l. Daedalus.
pag. 65 lin. 7. perteſa	l. pertaeſa.
pag. 67. lin. 6. Alternis	l. Alterni.
ibid. lin. 7. diſta	l. dicta
ibid. lin. 12 ſtomacum	l. Stomachum
ibid. lin. 18. ſocratè	l. Socrate
68. lin. 15. in eſſe (me.	l. ineſſe.
pag 70. in Ep. lin. 4. itinerario mariti-	l. Itinerario Maritimo.
pag. 132. lin. 5. 6. interpoſiti	l. interſperſi

EX commissione Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Vincentii Torre Prioris S. Alexandri, & Vicarii Generalis Eminentissimi, & Reverendissimi D. D. Horatii Philippi Cardinalis Spada Episcopi Lucani, attentè legimus *Epistolas*, *Orationes*, *& Carmina*, *&c. Illustrissimi Domini Henrici de Nova Villa*, atque in eis plurimam eruditionem, & dicendi phrasim admirati, dignas prælo censuimus. In quorum fidem &c.

Ex hac nostra Domo S. M. Cortis Orlandingorum Congregationis Matris Dei die 14. Febr. 1710.

Constantinus Manfredi Examinator Synodalis.
Constantinus Roncaglia.

Imprimatur.

VINCENTIUS TORRE VIC. GEN.

LAURENTIUS MANSI PRO ILL. OFFICIO SUPER JURISDICTIONE PRÆP.

ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. JOHANNI SOMMERS

BARONI DE EVESHAM.

HENRICUS DE NOVA VILLA. S.

LONDINUM.

I.

OUum per literas ſuas, Illuſtriſſime Domine, Martinius veſter, communis Amicus, Virque optimus, & cujus vita profeſſioni reſpondet, me pro ſolita benignitate minime celaverit, meas ex Italia Epiſtolas; ſeù pro veteri Amicitia, qua me ab ineunte ferè ætate dignatus fueris; ſæpiùs recreaveris, multiſque modis ornaveris ſublevaveriſque; ſeù pro rerum, ac perſonarum novitate, non multùm Tibi diſplicuiſſe: Studium inceſſit addendi etiam, & reliquas, juxtà temporis ordinem;

ut Tibi, & negotiorum meorum, & otii quoque mei ratio, & quaſi quædam Hiſtoria conſtet. Tibi inquam, Summo in Patria Amico, ſummoque itidem Viro : Cui & dignitatem olìm, quantumque in te fuerat, opes, atque famam, præſentis, ac futuri ſœculi bona, accepta tulerim. Et cui quis alteri majus debere poteſt, quàm hujus vitæ ſubſidia, & ornamenta, & quaſi Nominis æternitatem? Cui enim is ignotus eſſe poteſt, qui Sommero notus; quemque is inter interioris admiſſionis amicos tàm diù receperit? Præſtiterit dignitate, & eloquentia, & rerum magnitudine Cicero; Vivit tamen Atticus, vivetque, & ab Amico, & Fautore Immortalitatem mutuatur. Sciat omnis poſteritas, illum me inter ſuos admiſiſſe, qui Privatus, (quàm anteacti temporis, & naſcentis conſuetudinis, ac amicitiæ lætus recordor!) in Academia, inter ſtudia, & in Urbe, ac Foro deinceps, & vitæ innocentia, candore, & facilitate morum, ſcientia linguarum, artium, atquè rerum, pariquè facundia, longè æmulis, longè invidis præſtiterit. Hæc & ipſi hoſtes dixerint, omnibus quippè nota, & ab omnibus credita. Qui ſibi tantummodò, id ſciens loquor, nec Tu aliàs paterere, Summo regni munere, non eſſe dignus videbatur : Qui invitus demum ad illud acceſſerit, eidemque ultra ſeptennium,

in-

invictiſſimo Sapientiſſimoque Regi Gulielmo, & Univerſis Hominum ordinibus, gratus, acceptuſque, magno decòri, ac præſidio fuerit: & ab eo tandem, bonis mœrentibus, ac indignantibus, non invitus quoque, non reluctans diſceſſerit. Id Hamtincurti vidit, agnovitque mirabundus, ſtupenſque Talliardus, tunc apud Anglos Legatus; idem mox verſis rebus, belli fortuna, & jure, apud eoſdem, fortiſſimi Herois Malebruggii captivus: nequæ malorum fortitèr toleratorum exempla ampliùs inter Veteres requirebat. Diùque quidem illud vacabat, maximorum olim commune votum, & multùm quærebatur, neque inveniebatur Succeſſor. Dein equidem incidimus in tempora, triſtia, Virtutibus infenſa, & Reip: magis quàm Tibi adverſa. Tu verò tandem de malitia hominum, deque ipſa invidia triumphaſti: atque inauditum antea noſtris Annalibus, neque ſolùm Reipublicæ Athenienſis, Romana, ac Batava, optimis, & de ſe optimè meritis Civibus ingratæ, ipſos Inquiſitores accuſationis puduit. Nunc verò ſine titulo magnus, & potens, nec unius anni Conſul; ſine faſcibus noſtrum regis Orbem; qui Scotis adjectis, coalitiſque in unum Gentibus; non ſitu quidem, ſed moribus, ac mutuo metu, & ſolito accolarum odio disjunctis; quantùm veſtra ſuperant facundiæ, ſapien-

tiæque trophæa, illa bellica quæ ſola majoribus noſtris nota; amplior ſanè, potentior, illuſtriorque, & Magnitudine, & Viribus; quodque majus, Conſiliis redditur. Ineunti ergo ſæculo, Britanniæque noſtræ, nunc verè Magnæ, immò Maximæ gratulemur; cum nobis ante oculos, ſint, Pax domi, & ſecuritas, & tanta Triumphorum ſeries. Si quæ à nobis gentibus quies quandòque dabitur, ſperandum eſt non brevem eam futuram, quaſi caſtrorum ferias, ſed veluti in perpetuum duraturam. Britannici Majeſtatem Imperii comitèr obſervabunt omnes; vicinos amor, vel fœdera: longiùs remotos, diſſitoſque, pudor continebit. Te lætus interim ſequitur Senatus; cumque Patribus, optandum magis antea quàm ſperandum, immò opus penitùs deſperatum, optimè convenit Populus. Domi concordia, foris triumphos parit; nobiſque noſtri non imputabunt Poſteri, quòd ſit unius Principis ferè totus Occidens; neque pars Galliæ tantùm; Hiſpaniæ, Italia, Belgium, ac Novus Orbis. Quid verò tali, ac pro talibus precemur? me interim Cives inter, ac Exteros unà cum ipſis plaudente; quam ut, quum ſe Sapiens à Reipublicæ adminiſtratione in futurum ſubducat; nolitque infido mari ſe ampliùs committere; (niſi aliquando Patria boniſque poſtulantibus ſe priſtinis invitus reddiderit

cu-

curis) otio ſimul , ac gloria fruatur : utque in ſuis commentariis Poſteri demum legant ; quæ Majores noſtri, ac præſens ætas , fortitèr feliciterque manu ; quid ſuo Ævo, & ad Patriæ , ac univerſi commoda in perpetuum , ipſe conſiliis egerit. Florentiæ. Prid. Cal. Sept. 1706.

ANTONIO MAGLIABECHIO. S.

II.

CUM Tibi, Illuſtriſſime Magliabechi, cui tantùm ipſe, tantùm Orbis Literatus debet, non admodùm diſplicuerit oratio, quam Optimi Principis Natalibus, pro muneris ratione, coram ipſo habuerim; eodemque favore, & animi benignitate partes Epiſtolæ exceperis, quam unà cum eadem docto cuidam, pioque viro, amico, & populari meo, in Angliam nuper tranſmiſerim; placuit illam integram Tibi mittere, cùm & Italiæ veſtræ quodammodò præconium contineat; neque de ipſo Magliabechio penitùs ſileat: Et quis de Italia poſt Virgilium? Quis de Magliabechio, quem omnium gentium eruditi colunt, & reverentur, ſatis pro dignitate eloquatur? Quorum ſanè alterius ſolo, cœloque; ſi quod in me eſt ingenium, & quàm parùm eo præſtare valeam, ipſe mihi ſum conſcius, quaſi totum acceptum refero, alterius libris, ſed multo magis ſermonibus, cujuſvis ingenium creſcere, alique poſſit. Quod ſi in Patriæ laudes, longiùs ibi,

quam

quàm par erat, excurrerim; id ſolummodò Italorum candori, & Magliabechio præſertim imputandum, qui tam magnifica ſentiunt, tam magnifica de noſtratibus, ferè quotidiè loquuntur, diſſeruntque. Non te præterit, quid enim aut non legiſti, aut non tenes memoria? Arma, & Artes eodem tempore, Cæſare Julio, & Trajano Imperantibus, Romæ floruiſſe, Imperantibus etiam, & Fœminis, penès Anglos Armorum fuiſſe, & eſſe arbitrium, Eliſabethæ Baconem ſuum contigiſſe, & tot Vatum nomina, Annæ tot viventia decora Reipublicæ Literariæ, quorum pudori, ſilentio parcendum. Sed à Græcis, nam veſtra quoque erat Magna Græcia, & Romanis Veteribus, literarum initia, progreſſus, conſummatio: quæ in Italia quoque, quaſi primæ ſuæ originis conſciæ, memoreſquè, volventibus annis, ac ſic in fatis erat, eòdem ſimul, & rerum natura concurrente, conſpiranteque, poſt tot ſœcula, quibus cuncta fermè tenebris, & barbarie involuta, & depreſſa fuerant, denuò renatæ ſunt, & viguere: Ita quicquid in artibus præſtitimus, id omne vobis debetur: Majores veſtri Orbem terrarum bello ſubegerant, pacaverantque; quorum veſtigiis Poſteri inſiſtentes, artibus etiam inſtruxerunt, erudieruntque. Linguarum cognitio, quæ cæteris dat aditum, Philoſophia, Eloquentia, Poe-

Poeſis, Architectura, Pictura, Statuaria; quæ ad uſus, quæ ad eruditas voluptates faciant; quibus vita ſecura, locuples, grata denique, & beata, & operibus felix, & tantùm non æterna redditur efficiturque, veſtra ſunt Gentibus, & Humano Generi conceſſa munera: Et, ſi quid adhuc in literis obſcurum, atquè difficile; ſi quid aliis inauditum, atque incognitum, aut minùs notum, quodque non ſubitò, neque adeò tam promptè occurrat, ad Magliabechium ab ubique doctis, ſtatim confugitur; ab ipſo maximè reſponſa petuntur; & qualia vellent, ac ſine mora dantur. Vale. Ex Ædibus meis Florentiæ xiij. Kal. Nov. 1705.

PE-

GULIELMO 9
POLHIL. S.
LONDINUM.

III.

PEragratis Germaniis, & conterminis terris, alibi quidem ſatis fœcundis, alibi Sylvis montibuſque incultis horridiſque, quibus aer ſemper gravis incumbit, & inde pinguia ut plurimùm Incolarum Ingenia: Venetiiſque, ſitu ſecuro magis quam ſalubri, non tam citò quam optaveram relictis: tandem prætervectus Padi Oſtia, ſpem inter metumque dubius anxiuſque, ob inſeſſa proxima littora, & fluviorum exitus, ab Hoſtibus Gallis; per mare ſuperum, lætus in Latium adpuli; ubi à moleſtiis tam longi itineris, & præſertim maximam partem, aſperrima hyeme confecti, cœlo ſoloque mitiore felicioreque, & ingeniis formandis à natura facto, celebrique, paululùm demum recreato, rediit quaſi priſtinus animo vigor, ſimulque veterum ſtudiorum amor. Ut verò longiùs proceſſi, crevit ille equidem, & mihi ipſi quaſi Italus, (utinam dicere liceret Romanus, ſed qualis, qui olim fuerant Romani!) videbar: ac brevì

poſt, fixis Florentiæ Laribus, ut meliùs in Urbe Gentis primaria, ac eadem Principis Sede, negotia ad Legationem *mihi ab Anna Regina apud Coſmum Tertium M. Etruriæ Ducem injunctam*, ſpectantia procurarem; recurrebat demum, ſatis ſanè longo ex intervallo, & priſtinæ Amicitiæ, & priſtinæ conſuetudinis memoria: quum nos admodùm Juvenes, nondum periculis expoſiti; nondum negotiis defeſſi pænè oppreſſique, Tu Londini, Rurive, ipſe Oxonii, ſcribendi invicem commercio atque hoc eodem etiam ſermone, frueremur, nemini obnoxio, utrique noſtrum jucundo, mihi certè & utili, & nunquam obliviſcendo. Inde ergo eſt, quod oratiunculam, quam nuper habui, ad M. Ducem die ejus Natali, Tibi amico veteri fidoque, & ab ineuntibus annis, ſtudiorum meorum hortatori ſemper fautorique, mitto. Nec ipſi Principi, ſit dicto venia, neque Genti, ejuſmodi rerum haud incurioſæ, penitùs diſplicuit. Sed favent Itali, quos inter nefas omittere florentem hìc ſtudiis Magliabechium, alienis laudibus; nec apud illos Britanni, licet ultra Montes, & in alio quaſi Orbe poſiti, ampliùs pro Barbaris habentur; Baconi, Boyliique inventa pro merito extollunt, oblatis gaudent, & læti gratique utuntur. Non Hippocrati, aut Galeno, ſuove Malpighio, vel rerum uſu, vel perpetuitate Famæ, Harveius V Vil-

li-

liſiuſque cedunt. Et multa adhuc expectant à Summo Mathematico ejuſdem mecum Cognominis, (inde aliquoties contigit ex errore nominis, me quoque non meis laudibus ornari) præſertim verò Mundum, qualem Deus, ipſi quoque Hobbeſio, Æternus Geometra, ab initio formaverat, atque Sapientiſſimus Creator in menſura, & numero, & pondere diſpoſuerat; ſed intellectu facilem, non ſolùm Mathematicis, nec quidem illis ex plebe, legendum, intuendumque; ſicque ille demum optimè, ſibi, Patriæ, omni denique Poſteritati conſulat. Adeo ut jam pænè jure affirmare poſſim, ſi rectè judicent Itali, ibi terrarum, hoc ſæculo, Philoſophiæ certam ſedem poni, inque Anglia conſtitutum hujuſmodi ſcientiarum domicilium. Non idem quidem in Sacris ſapimus omnes, ſui ſunt Ritus Gentibus, & multùm nonnunquam diverſi. Sed eadem in Litteris ubique placent, & placitura ſunt, ſi ſuus Veteribus honos reddatur, ſi Majores imitentur Poſteri, & denuo Cicerones, Virgilios, Livioſque, Rerum Pondere, Nitore Verborum, Stylo Genioque, ſcriptis exprimant. Id certè minimè aſſecutus ſum. Sed Ingenio deficio, non Materia. Inde erat, & id ſolum obtinui, quod non ſupra verum inſurgebat, aut extendebatur Oratio, factiſque dicta exæquabantur; ideoque fortè, nec aliam ob cauſam, pla-

cuerat illa, atque jam legitur deſcribiturquè : Et oh utinam cum Plinio tuo meoque, alii quoque, [ille quidem de Poſteris, cui Scriptorum æternitas ante oculos, quibuſcum mihi nihil intercedit negotii] aut ita judicent, aut ita errent ! Utinam & ipſe eodem modo, aut judices, aut erres, qui mihi ferè cum uno alteroque, non eſt magna ubivis, Bonorum ſeges, & aliorum ſtudiis ex æquo faventium numerus, inſtar omnium es. Id præmium anteacti laboris, ſi tam parva laboribus accenſenda ſint: is ſtimulus ad novos aggrediendum perficiendumque, & unus erit, & optimus. Vale. Florentiæ. Kal. Octob. 1705.

PETRO HIERONYMO BARCELLINI. S.

ROMAM.

IV.

TU Illuſtriſſime Barcelline, Romæ morarIs, quæ olìm Imperii, & Legum, & ab eo deinceps tempore, Sacrorum, ac Scientiarum ſedes; & inde quaſi ex ſpecula, oculos ubique conjicis, & Florentiæ Magliabechium, Literarum nunquam in Italia deficientium præſidium agnoſcis, meque etiam,

etiam, quantum negotia permittunt, & injunctum Legationis Munus, earundem, & unà literatorum, Cultorem ſanè, & admodùm admiratorem, deprehendis. Tecum, & Fontaninus, cui Vindici ſuo, quantum debet Mabillonius, qui poſteriorum quidem temporum, & majorum per Europam monumenta, variaque ſcribendi genera, ferè unus à ſitu, & ab interitu vindicabat; quod verò ſolus non fuerit, obſtitit adhuc Fontaninus! quantum verò, & alterius, & ſuo nomine, non tantum ſeveriores illæ, ſed amœniores quoque debent literæ; quantum, & ipſe, tuo beneficio viri non minùs humani, quam eruditi, libri, magni, & delicati admodùm ingenii fœtus, huc mihi, nihil tale ab illo expectanti, neque ullo officio promerenti, modò delati, Antigermonius, & Taſſi Vatis defenſus Amyntas, abundè demonſtrant: Tecum etiam Paſſioneius, & qualis hodie Vir ille, qualis olim futurus! In quo minimum eſt, Summi Pontificis affinem eſſe, non tamen inter minima ponendum, doctiſſimo Sacrorum Principi placuiſſe; ſed quem brevì pro dignitate, Orbi Literario ſpectandum, ſuo in Gellio dabit Grovonius: ibi etiam, ea gloria noſtro decimo octavo Sæculo, non quidem prioribus illibata, ſed perfecti, abſolutique operis ſervatur, qui novum nobis annum, verumque computabunt: Neque novum eſt Romæ, Cœlo etiam

ut

ut Terris, Leges imponere, hìc etenìm utriſque Julium imperavit Sydus: hìc quoque tot alia cernas Literarum lumina, quæ ſe præter, videnda, ſuſpiciendaque, omnia Mundi miracula ipſis ſuis in ruderibus complectens, Roma exhibet. Quam me quoque juvaret, aliena licet ſacra, ſub reformato nomine profitentem, magnos illos, & antiquos Pontifices, Leonem, cujus ſanctitas, & facundia, olim Attilæ Tyranni, Dei verè ſuo ævo flagelli, arma de manibus excuſſerint, Gregoriùm noſtrum, quippe Anglorum Apoſtolum, in Clemente Undecimo, denuò viventes, loquenteſque audire, & à Clemente, pænè dixerim, ſacra eloquentia ſuperatos! Quam velim Divi Petri Baſilicam, dignam Principe Apoſtolorum Sedem; quàm velim ſacras Lateranenſes Ædes, Eccleſiarum Matrem venerari! Quàm velim etiam intueri, ac tractare libros, meas ſanè, & innoxias delicias; & monſtrante tuo Zacagnio, Vaticanam copiam, & magnificentiam admirari! Quo verò gaudio, qua mentis ſuperbia, & exultatione, loca oculis, veſtigiiſque premerem, ubi vox pænè divina Ciceronis, & eloquentia ſupra humanam audita eſt? Quo in Theatro Populus Virgilio, ut Auguſto, ſurrexit Univerſus, & veneratus eſt? Julii qua parte Fori, Bucephalo, Major inſidebat Cæſar, & de victore Mundi, ac Domino Alexandro,

dro, in Dictatore ſuo, Victor Gentium Populus, triumphum egit perpetuum! Quo me Roma rapis? Sed parce mihi, Vir optime, quique Veteribus, ſtudiiſque faves, id unà mecum à Te ipſa Roma pro jure ſuo videtur poſtulare, ut quum de Urbe æterna, quæ nullam habuit ſuperiorem, quæ nunquam parem habitura eſt, gentium omnium patria, ac domina agatur, paulò lætiùs, magnificentiùſque loquar. Tunc quidem, nec pudet, pigetve, ſupra me efferor, neque tum aut mei ſum compos, aut ampliùs eſſe velim. Non mihi Anglus, aut Britannus eſſe videor, alterius Orbis Incola, ſed quaſi unus è Civibus ſuis, Romæ, & inter Antiquos illos verſari. Cùmque poſt tot, & viſa, & videnda Urbis miracula, quibus Hoſpites ſuos Roma, inter venerandas pulcherrimaſque ipſas, proh dolor! veteris Urbis reliquias, & ruinas, & novæ cultum, ac magnificentiam, adhuc detinet, & ſi per ipſos liceret in perpetuum detineret, veſperi demum, non tam laſſus, quam mirabundus, lætus, doctiorque redierim; quæ nova voluptas, quantum animo, & gaudii, & ſcientiæ accedet, eruditiſſimos Barcellini, ſuaviſſimoſque ſermones excipere; & ab ipſo audire, quæ oculos, mentemque, tanta in rerum copia, & quaſi turba, effugerint: quæ memoranda ſive Ducis, ſive mea culpa, prætermie-

rierim ; quæque obſervare haud ipſe potuerim, quæ tamen obſervatu, & memoria erant digniſſima? Has literas novo ineunte anno, felicibus, uti par eſt credere, auſpiciis ſcripſi, cum tuas biduo ante Roma vij. Kal. Jan. datas, & libros quos miſeris, paulò poſt gratus, atque lætabundus acceperim, in pignus certiſſimum, ſummumque benevolentiæ, & amicitiæ, quas maximè, communia conciliant ſtudia, & recti amor; moleſtiarum ſanè, curarumque levamen, & condimentum, & liceat addere, ingenii quamvis multùm mediocris, alimentum optimum, uberrimumque. Die verò Saturni proximo, in Angliam ſcripturus, ut quam primùm tibi parentur, ac demùm Romam advehantur, Principia Philoſophiæ Mathematica, non ità pridem à Clariſſimo Nevvtono Equite publici Juris facta, quocum nihil mihi commune præter nomen, & quod cum aliis omnibus habeo commune, famæ ipſius cultum, & reverentiam. Hæc habui in anteceſſum dicere, fruiturus interim quaſi quadam anticipatione gaudii, & voluptatis, Te quandòque, & Romam unà videndi, colendique. Vale. Florentiæ Kal. Jan. 1706.

AN-

ANTONIO MAGLIABECHIO. S.

V.

QUod inter Auguſti dicta, celebre ferebatur, *Feſtina lentè*, id nunc mihi quoque uſurpandum, cum in moræ pretium, binas ab Optimo Magliabechio, priores vigeſimoſeptimo Februarii, alteras heri, Florentia datas, Arni etiam, ſed Piſis accola, epiſtolas acceperim, & quales, Dii Boni, quàm ſuaves, quàm doctas! Adeo ut ipſe difficilis aliàs, ac moroſus mearum rerum interpres, exactorque, nunc mihi aliqua ex parte placeam, cui, Magliabechio non diſplicuiſſe conceditur; qui meas demùm aliquid putat fuiſſe nugas: ſed non tam facilem habeat Dominum, qui Te, officio moleſtus, non tuo tempore interpellavit, abſtulitque quod dare non potuit, famæque ſe meæ interpoſuit: in partem enim famæ, neque minimam veniunt, quibus ſua penès Magliabechium ſervari, ab ipſo legi, & quod penè ſupra vota cujuſvis, aliis etiam tradi legenda contigit: ſed nimium pro parvis, qualia ſunt illa, quæ nihili ſanè habenda, pretium dumtaxat

ab accipientium affectu trahunt. Tua verò me docent, quæ in lucem, & in ora hominum nuper dederit, Illuſtriſſimus, & dignitate, & meritis Cuperus; nec ſuis tantùm, ſed, & alienis etiam operibus, clarus, & inſignis. Quid Urbi quoque, quid Orbi, & Tibi obtulerit Romanus Vignolius; redivivum ſanè in Columna iterum, & Vignolio Antoninum, ſuo Sœculo dictum, neque ex Adulatione, Pium. Sed tamen malè me habet, non tam benè hyeme præterita valuiſſe Magliabechium; non id equidem immortalibus interitum minatur, quales ſunt Docti, & Sapientes, quique ſanè pro Bono publico, aut immortales revera eſſe debent, aut proximè ſaltem ad immortalitatem accedere: interim velim illos, vegetos eſſe, valenteſque, non curis, non morbis diſtractos, anxioſve; nam quantum otii, ac valetudinis illis datur, id Orbis Literarii inter lucra recenſendum eſt.

Fontanini, a me ſemper colendi, Tibi Literas demum remitto, gratas, & memoria mei, & illuſtri teſtimonio.

Hìc multos admodùm, & in multis, immò in omnibus, Doctos inveni; qui non ſolùm ſibi, ſed, & Publico etiam ſapiunt; magnique putant, & eſt equidem, alios inſtruere, & erudire moribus, & ſcientiis, & in quantum poſſint, ſibi quo-

que

que pares facere ; atque omnes interim tui memores, Famæque tuæ, quæ ubique diffunditur, neque intra Hetruriam veſtram, aut ipſam denique Europam includitur, cultores. Interfui ſæpiùs prælectionibus eruditis, piiſque, interſum etiam quotidiè ſermonibus ; & inde ſemper doctior, meliorque redeo. Abſtineo ſanè nominibus, cum cuncta ſint tibi, & Orbi ſuis meritis nota ; neque auſim meum interponere judicium, quod, & difficile, & moleſtum, atque invidiæ, ſuperbiæque plenum, planèque ſupra vires meas ; ſed maximè obſtat, quod Summis Viris parem gratiam verbis referre haud potuerim.

Ipſe die Mercurii proximo, Liburnum cogito ; ubi pro more Gentis meæ à Noſtratibus excipiendus, indè inter Convivia fermè tempus extrahendum eſt, non nunc bonæ mentis alimentum : ibi enim de Commerciis, non de libris diſputandum, non de Veſtra, aut Veterum Sapientia, ſed de arte nummos comparandi : & ſi de novis loqui contigerit, quæque peregrè, aut domi accidant, non de Literariis agitur quæriturvæ : poſt Græcorum enim tempora, & qualia mihi nuper tecum unà, & cum Reverendo, ac admodùm erudito Landio nuper Florentiæ obtigerant, pauciſque aliis, quibus recenſendis ſupersedeo, ne ambitiosè agere videar, inter dapes, &

fercula rarò de literis ſermones habentur. Veniet brevi tempus, cum licebit iterum inter Convivia, & lætari ſimul, & ſapere. Vale. Piſis. viij. Idus Mar. 1706.

PE-

PETRO FRANCISCO
SANIO. S.

VI.

VEnia opus erit, doctiſſime, optimeque Sani, ſi ſeriùs aliquantò, quàm Dignitatis, aut Muneris ratio poſtulaverat, reſponſionem acceperis; quod equidem partìm acciderat, ex ſcripti mole, unde memorialem libellum fuiſſe, aut ſaltem in Jure Diſſertationem crediderам; neque enim aut cogitare, aut ſuſpicari potui, id mihi ſolùm tribui, meique unius in illo partes agi; aut me denique potuiſſe ſufficere cuilibet in laudis materiem, nedum tam amplæ, ac tam magnificæ, præſertim ejuſmodi Viro, qui.

Totos dat Tetricæ Dies Minervæ; partim verò ex Officiis acciderat, quibus primò in hanc Urbem adventu, ſeu Principi debitis, ſeu Amicis, diſtinebar, atque occupatus eram; adeo ut in aliud tempus magis opportunum, minuſque ſive negotiis, ſive moleſtiis diſtrictum, illam differre neceſſe habuerim: ſed cum ad me paulatim redire, & plus mihi, ſtudiiſque vacare contigerat, in primis animum cupido inceſſit, Tua interiore

cura

cura legendi, quæ adhuc inter alia præ manibus erant : longiùs tum ſanè admiratio proceſſit, neque ſine cauſa, cùm materiam omninò tantùmque adeo, opus ſuperaverit : & ſimul Votum, & fermè neceſſitas impoſita, pro viribus reſpondendi affectui tuo, erga amicum maximo, & utinam, aut non poſſem, aut non debeam adjicere, nimio, cui me libenter, verèque fateor, neque accipiendo, neque reddendo, parem fore. Et unde obſecro accidit, hominem exterum, tanti tibi, Italiſve videri, æſtimarique? Anne quod vos morum humanitate, civili prudentia, & rerum, hominumque notitia, cœteris in Orbe Gentibus, præſtare crediderim? Sed in eo omnes mecum conſentientes habeo : Anne quod Principem veſtrum, Optimum Coſmum, quem ipſi, ut Dominum reveremini, ut Patrem amatis, illum à Literatis ubique agnitum, ut ſuum, ac Literarum præſidium, atque Statorem, illum à Religioſis in Exemplum vitæ cunctis propoſitum; ſed, & illis quoque ipſis Religioſis, nunc ſtupenda planè, & grata Populis rerum vice, ſumendam ab Aula in Principe vivendi regulam; & inde petendum in poſterum morum magiſtrum, & animo, & ſcriptis coluerim? Sed, id quoque mihi in Commune, cum Civibus ſuis, cum Exteris, & præſertim cum Anglis convenit, qui non tam illi pe-

peregrini esse videmur, quàm sui, quàm popula-
res; neque interim de me quoque silere, aut pos-
sum, aut debeo, qui ea comitate ab ipso, quo-
ties me ad Aulam publica vocant Officia, tan-
quam domesticus, & ex suis unus excipior. An-
ne communia studia in causa fuere, Antiquitatis
amor, ac Juris reverentia, Cultusque Veteris?
At Italia universos, Antiquitatis amantes, aut in-
venit, accipitque, aut demum facit, talesque suis
reddit. Anne verò quod quandòque, uti non
tantùm à Sapientibus, sed ab indocto etiam rudì-
que Vulgo, non rarò observatum est, & frequen-
tibus constat Exemplis; secreto atque incognito
affectu, & quasi vi quadam ab ipsa natura im-
pressa, ac insita, cui non facilè possit obsisti, ne-
que est qui velit reniti, impelli, conciliarique in-
vicem animas, neque alia sit amandi causa, ra-
tiòque, præterquam amare: Fato igitur (ut ita
dicam) non meritò, hoc acciderit. Fato ut alia
multa gratis imputetur: Nec quid amplius in
causa sit, quæro; gaudeo sanè, lætorque me hac
in parte inter felices, neque adeo benè merentes,
haberi, censerique. Vale. Liburni. 16. Kal.
Apr. 1706.

BE-

B[24] BENEDICTO AVERANIO

PISIS ELOQUENTIA PROFESSORI. S.

VII.

PAucis abhinc diebus, Optime Averani, me vir doctiſſimus Johannes Clericus, Literato Orbi variis, ac utilibus admodùm operibus in omni ferè argumento notus, laudatuſque, literis ſuis Amſteledamo miſſis interpellabat; neque me promiſſionis ſibi olim per communem amicum factæ, de amplianda Grotii Anthologia, brevi per ipſum edenda ad uſum, & in gratiam eruditorum, immemorem eſſe ulterius ſinebat: Et ipſe in hæc fermè verba, promiſſum, reſque quaſi ſuas repetenti reſpondebam.

Certè quantùm in me erat, & Piſis priùs, ubi me primùm ſelecta Bibliotheca tua deprehendit, & Florentiæ nuper egi; ut locupletior aliquatenùs, adeòque utilior, gratiorque prodiret Anthologia Grotiana; & ſi mihi fidem Viri Inſignes ſervaverint, Averanius Eloquentiæ Piſis Profeſſor, ac ipſe utraque facundia excellens: & Salvinus Florentiæ Græcarum etiam Literarum cum laude Interpres, utraque lingua, latina, & ſua, & verè ſua Hetruſca, Vir Doctus, neque injucundus Poeta,

ope-

operam non malè, neque adeo infœliciter collocari.

Quam cara res ſit fides, præſertim inter literarum ſacris deditos, bonos viros, multum famæ, & exiſtimationi hominum dantes, quis te, qui tanta illis tam feliciter credidiſti, & me etiam pro bonitate tua eorundem participem facere voluiſti, meliùs novit? Quàm verò nunc tenear adſtrictus, etiam ex Batavia, & Orbe Oceano adſito, jam, & tibi conſtat. Patere igitur nomen tuum, cum Opſopæo, cum Stephano, Huetio, cum Clerico, unà, & cum ipſo Grotio legi, celebrarique; & extrema Britannia, Orbis alter ſciat, quantum Itala vis præſtet, ut olim armis, ſic nunc, & pacis artibus. Hìc apud vos Muſis Græcia extorribus, quaſi altera incunabula, Lares ſui, & certa ſedes. Vobis ergo incumbendum, ne penès alios in poſterum ſit Imperii Majeſtas, & alibi quàm in Italia literas dominari. Sed benè de Republica ſperandum, ſufficit Majoribus Averanus; & ipſi quoque victorem læti, gratique, fauſta, & felicia omnia canentes, optanteſque proſequemur. Optimum interim, Doctiſſimumque Fratrem Joſephum, noſtra Juris ſacra ſequentem, ipſorumque decus, in vota mea credo pronum, facilemque habiturum, operiſque, precumque adjutorem; cui digna ſua virtute præmia, ideſt ſumma opto, precorque. Vale. Florentiæ. viij. Kal. Jul. 1706.

DOMINICO PASSIONEIO ABBATI. S.

VIII.

CUM tu, doctiſſime, Illuſtriſſimèque Paſſionei, qui Muſas ſumma cunctorum in Urbe, & per omnes Provincias laude colis ſeveriores, meas tanti putes eſſe nugas; miſi Anapæſtos equidem mediocres, quales ſanè expectandi ab illo erant, qui amœnioribus literis fori ſtrepitu, ac negotiis occupatus, multo abhinc tempore, nuncium planè remiſerit, ſuaſque ſibi res habere Muſis permiſerit: ſed ne in totum tempus periret, neque nihil agere viderer, unà etiam adjunxi Lyricos optimos Senatoris Filicaiæ, & tantùm ignobiliore materia depreſſos: neque tamen ille dicere veretur; oh quantum imprudentibus imponit!

Me Laudas, Ego Te: Peccavimus Ambo: Sed impar
Culpa eſt, plus juſto laudor, & ipſe minùs.

Sed licebit ſemper Poetis ſuo Jure uti: quidni? cum, & ipſa Poeſis ſit ars fingendi: neque doli, quos illi nectunt à Prætore, inter malos recenſentur. Sed non opus eſt pluribus ea in parte diſputare; quum enim hæc legeris, citò dictis Fides conſtabit. Vale. Florentiæ. xv. Kal. Jul. 1706.

AN-

ANTONIO MARIÆ SALVINO. S.

I X.

INter juris delicias te ne, optime Salvine, tædium, vel oblivio amicorum cepit? Tibi interim non viſus, & multùm de tua querens abſentia, Florentia hodiè exceſſit, Romæ ſuæ, Italiæque nova literarum ſpes, ac honor, Juvenis Paſſionejus: ſed tandem venit à Batavis, & ab extremo Oceano belli nunciatoria, neque renuo quin id quoque mihi imputes, a Clerico Epiſtola; qui nolit te diutiùs quieſcere, ſed tecum unà in partem famæ, ac laudis conſortium venire, ſimul Grotianam Anthologiam ampliando. Me, & meminiſti, olim ſponſorem dedi, te fines Imperii literarum hac in parte promoturum; cave precor, ne vir bonus adhuc, malæ læſæque fidei poſthac inſimuler. Et vide quæſo quanta ſit Operis dignitas, utilitaſque, ad quod te voco. Celebris dicit Auctor, Grotius videlicet, totam in eo hominum, rerum, artiumque quaſi hiſtoriam à Platone, & ſupra, uſque ad Juſtinianum per mille annos, & ultrà, hoc eſt, quaſi ab initio

Literarum ad finem uſque, ea Mundi ætate, qua maximè valuerunt artes, & ingenia, contineri: & ipſe quoque dixerim, tot eorum omnium, quaſi tabellas pulchrè depictas, hic etiam cunctorum oculis in publico exponi; non tanquam privatam poſſeſſionem detineri, quamvis fuerit illa Principum, amplam quidem, ſed tamen unius, vel paucorum ſaltem, & à paucis quoque perluſtrandam; atque inter eas, admodùm multas à Magiſtris: hic Poetarum quaſi Apellium, Zeuxium, Parrhaſiorumque manus cerni, & inter magnos Opifices, aliquando, & imperatorias, atque adjicere quoque liceat, laureatas; Romanoſque etiam in hac artium arte, de laude, de præſtantia, cum Græcis, & ſua quoque in lingua, ac facundia, non hic muta eloquentia, ſed viva, ſed ſpirante, certantes. Quanta eruditæ menti gaudia ad ſummum, & ſupra ſe etiam elatæ; uno quaſi intuitu videre cuncta, per tot ſæcula, per tot gentes, per Orbem Romanum, & per Univerſum ſparſa? hìc, & reſtare quaſi adhuc, in temporis omnia perdentis invidiam, aſpicique tot monumenta veterum, quæ dudum oculis periere; antiqua rimari, non arida, non inamœna, ut aliàs pleraque; ſed quaſi pulcherrimas picturas bono in lumine collocatas, literarum hiſtoriam, non inter deſiderata ampliùs computari, & ingenii quaſi humani, per

gra-

gradus ſuos, initia, incrementa, ſtatum, occaſus, lapſus, fineſque cognoſcere. Non potes poſthac otio indulgere. Sed quid hæc ad Salvinum? nunquam ille ceſſat, ſed intentus ſemper publico bono, in ſtudia ſemper incumbit. Velim tantùm, ut hæc etiam ſibi placeant, quæ omnibus poſtea placitura ſunt; ſentiatque Clericus, (Orbi Literato, tot per annos, multiſque adhuc precor ſuperſit!) libris ſuis univerſam fermè ſapientiam, complectentibus, maximoque alios juvandi, inſtruendique ſtudio, cognitus atque præclarus, meas ad Salvinum preces ſua, ac publica cauſa non fruſtrà, aut inutiles fuiſſe. Vale. Florentiæ. xiij. Kal. Jul. 1706.

PE-

30

PETRO HIERONYMO
BARCELLINI, &c. S.
ROMAM.

X.

MEas de Concione ſua ultima literas, Optime Barcelline, quibuſcum conſentientes habeo cum Catholicis veſtris, qui à Lutheri quoque Calvinique ſunt partibus, in manus Summi Pontificis deveniſſe, ex tuis poſtremis conſtat, neque admodùm diſplicuiſſe, ſuo etiam à Paſſioneio, lætus didici. Juvenis ille non tantùm amore omnium, ſed, & veneratione quadam complectendus. Quantus ille, & ipſi etiam Magliabechio tuo ſtupori erat, indiviſus lateri penè comes, atque alter alteri admirationi! Sed mores doctrinam ſuperant, & ſumma etiam eà in ætate ſapientia, ſummæ comitati cedit. Jam verò hinc diſceſſit, Florentia non minùs, quàm Roma ſecum Doctorum animos, ac vota auferens. Interim me Romam vocas, ac Urbis Majeſtatem coràm ſiſtis; neque minùs multorum, uti ais, ea in parte deſiderium, & amicorum adeo mihi, ſtudiiſque nominum; quæque alia, aut fallendo, aut incitando ani-

animo, nimiùm illuc propendenti inſerviant. Et velim equidem Urbem adire, ſpectareque, plures etiam ob cauſas; unam plurimi ſanè faciendam, quod te ibi adhuc morantem ſalutare poſſim; neque inter poſtremas ponendam, quod viſum indies minui ſentiam, neque illud minimum incommodum, ſolumque adhuc quod mihi in Hetruria agenti contigit; cui inter maxima vitæ emolumenta eſt, interdum legere, interdum ſcribere, nunc mihi, nunc amicis placere: imò vita eſt ipſiſſima; atque interim oculis perluſtrare, quæ mox animo poſſim repetere, exiguo ægræ mentis ſolatio.

Hæc intereà mecum cogitanti, ſed non id equidem cogitanti, verſus mihi exciderunt, & quaſi ex contactu, novo neque expectato morbo, laboravi. Legi Poemata nuper Senatoris Filicaiæ, mihi dono data à viro ſummo, & ipſo quoque Poeta: & inter legendum, ſentiebam mutationem, neque mihi minus mirandam, quàm quas olim in Ovidio puer legeram, & legendo ſtupebam, delectabarque; ſicque repentè ex Miniſtro, ut dicunt, Legatoque poeta qualis fiebam, atque prodibam! Sed neque juxta illius transformationes, longiùs receſſi à meipſo, aut commiſſo mihi munere, parumper agens Legati, ac Miniſtri, meaſque partes, & in conjecturis futuri, politico, ac

vati

vati proprior, quàm poetæ. Utque Principi pendet tributa Populus : ſic ego Imperiorum Principi, ac Dominæ Romæ, quos fructus hæc terra, ſua olim, tulerit defero, & mei interim vice tibi Poema vicarium ſubſtituo, ſiſtoque. Illud comitatur aliud verè Poema, quod Romæ Judicium, neque ipſo aureo Auguſti Sœculo reformidaret, ſolaque impari materia, atque minore detritum ſit, depreſſumque. Vale. Florentiæ. x. Kal. Jun. 1706.

LU-

LUCÆ ALBIZIO

SANCTI STEPFANI EQUITI. S.

PISAS.

XI.

MEmini, dum Piſis nupèr, Humaniſſime, Doctiſſimeque Albizj, magna cum animi, tum oculorum quoque voluptate, in ampla tua pulchraque verſarer Bibliotheca, me non tantùm ſacra, per varia ſcribendi genera, docentes; non tantùm civilis ſapientiæ conditores, quos inter poſt legum latores, quibus ipſe accenſeo Ciceroones, Grotioſque, meritò computes Thucydides, Salluſtios, Tacitoſque Hiſtoricos, alioſque, ſi qui fuerint, humano Generi, eiuſdem Dignitatis, & uſus; neque tantùm naturalis quoque magiſtros, quos penès ſolos diu philoſophiæ nomen, & Regnum, quibus, & nunc etiam annumerandi ſunt Mathematici, ſeu Geometræ, ex quo vir magnus, Anglorum, Sæculique decus, eodem mecum nomine, ſua ediderit Principia Philoſophiæ Mathematica; ſed, & Poetas, ſive dulces ſolùm, ſive, & ſublimes, ſeu mentem demulceant tantùm, ſibique, ac rebus concilient, ſeu extra ſe rapiant

efferantque, ſive veteris Ævi, ſeu recentis: ſed Majores illos, ac Parentes, & vultu, & viribus, atque valetudine referentes, & ſuum quoque locum, neque infimum obtinere, læto equidem animo, obſervaſſe. Neque tantummodò mihi licuit hæc gaudia ipſo in loco capere, hiſque mentis deliciis foris ſatiari; ſed, & domi etiam, tuis, & tibi amicorum opibus, copiiſque, uti. Non ſolus Sanctus Cyprianus inſtruxit mentem, Eccleſiæ diſciplinam, moreſque Chriſtianos docendo; non ſolus Pallavicinus Cardinalis, qui prioris ſæculi mala retulit, & incaſsùm tentata remedia. Hæc lectores videmus, agnoſcimuſque, & fruſtra dolemus poſteri. At, & aliquando quoque cum Veſtrate Bargæo, ſtatim, ac animum à gravioribus ſtudiis remittere placuit, Minerva ſimul, & Diana comitantibus, per campos diſcurrere liberos, feraſque agricolarum hoſtes, & innoxias prædas intercipere, atque capere videbar; at mox verſa penitùs ſcena, ſub ejuſdem quoque ſignis, oh quantum vatibus licet! quanta vis numerorum! quaſi militare, & triumphantem, ingredi Solymam; ſacrum venerari ſolum, & ſepulchrum, cui cedunt Regum Palatia, & præ quo ipſum ſorduit, quamvis caput rerum, Capitolium. Tantum enim inter utrumque intereſt, quantum Cœlos inter, & terram, quantum inter

in-

infinitum, & punctum hoc noſtrum, de cujus tamen portiuncula quadam, & quantilla rerum pars ipſa etiam Europa, ſi cum Univerſo Terrarum Orbe conferatur, tantis animis, tantis cædibus, tanta tot Populorum, Gentiumque clade, ac ruina certatur: cùmque, ut plurimùm, tanta etiam poſt certamina, tantaſque ſtrages, Orbis noſter ſaltem, qui Chriſtianus audit, & quam benè nobiſcum actum eſſet, ſi re ut nomine, ſed oh quam ſibi adverſus diſſimiliſque! optata frui pace permittatur. Sed me longiùs à me ipſo abripiunt, auferuntque publica mala. At, ut dicere incepi, ab affectu tuo erat in illa amœna ſtudiorum, in quæ prono flumine, ſive volentes, ſive nolentes, ſeu principes, ſeu vulgus Literatorum ferimur omnes, alii aliis, prout accidit, feliciores, quòd Anapæſtos, quos invita, ut ajunt, Minerva, at certè invito, atque nolenti proximus, vixque meus nuper effudi, tibi munus exiguum offerrem, iſtiuſmodi literarum amatori, atque Auctoris cauſa, fortè non admodum diſplicituros. Sortem non potui, uſuram ſolvo infra centeſimam certè, ac ejuſmodi, quæ niſi valde fallor, neque contra leges ſit, neque cum bonis præceptis pugnet: ſed cùm juxta veteres, & vates præſertim bonos Viros, ac æqui, bonique peritos, & amantes etiam, beneficia non ſint ad

menſuram reddenda, & quaſi ad trutinam expendenda; unà tibi donum fero, quod, & mihi tu quoque poſſis imputare, Oden ſcilicet Senatoris Filicaiæ, ſui Sæculi Horatii, & Romani inſtar illius; quippe qui ferè ſolus inter noſtrorum temporum Lyricos legi dignus ſit. Vale. Florentiæ. iij. Kal. Jul. 1706.

EU-

EUGENIO SABAUDO

IMPERATORI, &c. S.

XII.

TIbi, invictiſſime Imperator (ſi cui alii, nomen illud, non tam poteſtatis, quàm ut olim, ac initio, ſummæ virtutis, ac gloriæ devictis hoſtibus partæ indicium, meritò debetur) qui pridem ad Danubium, & quanto Terrarum intervallo ! formidatam Chriſtianis Potentiam, inſpectante ipſo, indignante, & dolente Muſtapha Orientis Tyranno, Galloſque nunc iterùm Imperii Romani hoſtes debellare potuiſti. Inter Aquilas, Tubaſque aliquando Mamiliani, Trajani Imperatoris Exercitus regentis, Romani Conſulis Carmina legebantur, & Plinii Hendecaſyllabis apud eundem locus, & meritæ laudes tribuebantur : ſemper etenim favebant Arma Muſis, & Muſæ invicem Armis, inde quippe Argumentum illis, & præſidium. Neque eo tempore, uti nec Auguſti Ævo, quo, & ipſe Germanicus Romani Robur, Decuſque Imperii, non tantùm Belli artibus, ſed, & hac etiam facundia, cum Auctore, ac Principe Gentis, ac Orbis Julio eminuit, ſe in-

indignum verſus ſcribere Conſul credebat, neque Dux ipſe verſibus delectari, & animum aliquando inter caſtrorum curas iſtiuſmodi Comitibus remittere, reficereque. Redeunt tandem Sœcula Armis, literiſque Inclyta; neque viventibus triumphantibuſque Eugeniis, unquam deerunt Vates. Tu Princeps, ſic ipſe ſcribis, lætus audis, quaſi interſis, Anglorum triumphos; noſque Eugenio Principi læta omnia, ac felicia precamur. Tu ſurgenti Carolo Auſtriaco, & Majeſtatem Nominis implenti, faves: Tu Cognato Amedeo fortiſſimo Principi, fideique præclaro, at veterum inſtar Heroum, multùm priùs adverſis exercito, te vindicem paras: Gallique Adventum Tuum, & ſibi cognitum Nomen timent. Jam patet Atheſis, ac Mincius, & Addua, & à Fonte Padus, Victorem ſuum læti expectant. Jamque hoſtes fugam meditantur, ſeque poſt Alpes præcipiti retrahunt gradu. Tu quoque partem Carminis facis, & quantum in te fuit majus opus unus occupaſti. Hanc laudis materiem, non interituram, Scriptoribus præſtant Hæroes: Hæc ab alteris, otii penduntur tributa eis, quibus otium ipſum debetur. Florentiæ. Jul. 1706.

PE-

PETRO HIERONYMO
BARCELLINI, &c. S.
ROMAM.

XIII.

CArminis, ſit modò Optimum, Humaniſſime Doctiſſimeque Barcelline, breve gaudium, plauſus vagus, & incertus, fructuſque nullus, aut ſaltem exiguus, & perituruſ. Orationis verò gratia, præſertim ſacræ, ſublimis, & divinæ, qualis nuperrima Summi Pontificis, perpetuò durat, inque ſecula ibit, Poſteroſque non minùs, quàm adſtantem, præſentemque Populum ſumma voluptate afficiet, inſtruetque. Non enim Romæ ſolùm, noſtroque Ævo conſulitur; foris, & in publicum emittitur, legiturque Oratio, Apoſtolorum Principe, ipſo Clemente, atque Urbe digna, in qua olim Cicerones, Pliniique in Civilibus Controverſiis, Leones Gregoriique, ſuorum temporum ſequentiumque judicio Magni, in Sacris Concionibus, dominabantur, & animorum habenas tenuerunt. Quibus orantibus nemo ſanus in ſua poteſtate, aut erat, aut haberi voluit: Et nunc quoque parùm abeſt, quin in-

Ope-

Operibus ſuis ſuperſtites, Literarum, ac facundiæ Regnum quaſi etiamnum teneant, neque parum etiam moribus contulerint. Sed nondum eo tempore, Humano Generi patuerunt Chriſtianæ Religionis Myſteria, Majeſtaſque Rerum primis illis, ac Orbi, aut prorsùs incognita, aut minùs credita: defueruntque poſtremis, infelicitate temporum, afflicta à Barbaris, & ferè everſa cum omni bona arte, Italia, Veteris ſermonis puritas, ac nitor: nunc ſimul florentibus literis, ac ſacris, & ad ſummum perductis, in uno Clemente, collectis viribus, erumpunt, conſpiciuntur, effulgentque: qui diu ſupra omnes elatus, ac omnes longè ſupergreſſus, cum ſe ſolo certare, ſe ſolum ſuperare potuit. Oh quàm pulcherrimum, quàm difficillimum, quàm utiliſſimum quoque certamen! par bene compoſitum, cum Clemente Clemens ipſe. In commune ergo ſui Populi, & Diſſitarum Gentium, ac publicum Urbis, atque Orbis bonum, ſecum ſæpiùs contendat, ſe ſæpiùs vincat. Vale. Florentiæ. iv. Id. Auguſti 1706.

GIS-

GISBERTO CUPERO. S.

DAVENTRIAM.

XIV.

BInis à Te Literis, Illuſtriſſime Cupere, menſe Aprili, ineunte quaſi apud Anglos anno, amicè provocatus, eodem quaſi nunc ad finem vergente, apud illos præſertim qui tempora caſtris computant, nolui quoque officio meo deeſſe, quodque minimum ſit, par pari ſaltem rependere. Auguratus ſum antea bona, ac fortia Cupero, ſociiſque conſilia, Malebruggio Duci prælia felicia, nec prioribus cedentia; nunc evenere cuncta, & ubique etiam ferè ſupra vota. Tunc ſanè ſcripſi lætiùs, elatiùſque, atque ut dixi, quod fortè in cauſa erat, recens à carmine, quippe cujus menti obverſabantur, Anglorum Batavorumque triumphi: & ex eventu res quidem verſibus reſponderunt. Calpe enim, Barcino, Taurinum, tot inſtar Victoriarum, ſervata: Timent Hiſpaniæ, Debellatum Belgium, ſequitur Inſubria: alterumque Carolum, non Magno, non Maximo, Auſtriaco quoque, Minorem, penè victum, Vi-

 cto-

ctorem Orbis demiratus eſt. Et quanta Ducum Nomina, Rovignius, Petroburgenſis, Eugenius, Malebruggius, & inter Principes, Sabaudus. Noſtro Sœculo Magni, Maximi apud Poſteros futuri: præſertim ſi inter Annalium Scriptores, novi orituri ſint Salluſtii, qui Majeſtati Rerum ſufficiant, & dictis Facta exæquare poſſint. Interim ipſe, & id quoque ſupra vires, munus exiguum, carmen illud mitto, Vaticinium quaſi meum, ſi non id quoque nimium, Florentiæ eo tempore Cœlo ſoloque quaſi poetico effuſum: ex titulo, futuri indicem; à materia, præteritorum, geſtorumque memoriam. Cui faciles precor Lectores, faventem verò Cuperum: ſed certè nimium eſt ſperare, cum Vatum Italorum Sœculique noſtri facilè Principe Filicaia, unà Eruditorum apud Batavos Proceres Principem, (ſic cum Roma ſua ſentit ipſe, literis, ac ſacra Eloquentia non minùs quam Dignitate præſtans Clemens Pontifex,) conſentientem quoque habere. Vale. Genuæ. vi. Idus Oct. 1706.

JO-

JOSEPHO REGALIO. S.

FLORENTIAM.

XV.

Tibi, doctiſſime, jucundiſſimeque Regali, magis quam ipſi Catullo, qui ſacras non minùs, quam humanas calles Literas, & Muſas cum Religione felicitèr componis, prior iſte convenit Titulus; alter quoque tibi, meo nomine jureque, cum ingenio prono adeo atque effuſo in laudes Patriæ meæ, Magnæque Patriæ Parentis, Annæ Reginæ, me tuum planè in poſterum quaſi Beneficiarium præſtiteris. *Stimulos dedit Æmula Virtus*; neque voto, ac mente ſaltem, re licet, beneficiis ſuperari. Miſi igitur Epigramma, vel ſpeciem potiùs Epigrammatis, unà cum Carmine Senatoris Filicaiæ, ut inde, atque ex Tuis æſtimes, quantum nativo, verèque Florentino Ingenio, adſcititium, inſititiumque cedat. Oh quanta Florentiæ laus, & Florentiæ ſolius poſt Athenas, ubi Natura cum Arte certat, utrum ibi ſæpiùs feliciùſque naſcantur Poetæ, quam fiant! Hoſpites etiam veſtros eadem aura afflat: quiſquis adytum

ſemel intraverit, ſtatim vaticinatur. Non ampliùs noſtri compotes ſumus, gratiaſque ipſas carmine reddimus. Oh quando Florentiam reddar ego, quando Amicis, quando mihi? Exilium eſt Genua. vi. Idus Oct. 1706.

PE-

PETRO ANTONIO SANIO.

FLORENTIAM.

XVI.

QUantum tibi debeo, doctiſſime humaniſſimeque Sani, ſi non ex tantis antea erga me præſtitis, ex quo primùm Florentiam delatus fuerim, ſeu in Urbe præſentem, ſeu non ſemel longiùs remotum, officiis conſtiterit, in teſtimonium certè, literæ iueunte octobri Genuam miſſæ, admodùm ampliſſimum accederent. Nunc mihi demum ex diſceſſu patet, quàm multos, magnos, bonoſque Amicos, quamque mei omnes ſuprà fidem amantes, veſtra in Urbe reliquerim, & ſanè adhuc fruſtrà Genuæ requiro hominum eruditione, ingenio, ſapientia inſignium commercia, & colloquia, quibus Florentia ſupra omnes in Italia, & fortè in Europa Civitates abundat: Quibuſcum tempus fallere, & à quibus inſtrui ſimul, ac eruditi, toties lætus, gratulanſque ſolebam. Me verò nun cruciat, neque nunc primùm, deſiderium Comitis Magalotti, digni ipſius Coſmi Principis Amicitia; ſummis in Republica honoribus; Cultu

à Li-

à Literatis ubique, & in omni parte ſtudiorum. Quis enim mores Gentium, Politicorum Myſteria, regendi Populos artem meliùs rectiùſve novit? Hanc illi ſcientiam, Patriæ Patrum propriam, Civiumque in commune natorum, famamque ſummæ Virtutis comitem, compararunt Itinera, Legationes, Principum Aulæ, ac Concilia, verè optimæ non nomine tantùm, Sapientium Prudentiumque ſcholæ. Civilem Sapientiam Rerum Naturæ cognitio anteceſſit, inque omnium complementum, Divinarum quoque, ſubſequuta eſt. Neque hæc tantùm intra ſe continuit, ſibi ſapere, ut multi præſertim ex Magnatibus, ſive ex deſidia, ſive ex ſuperbia, contentus; ſed vel Publico, & in commune dedit, vel quantum in ſe eſt, paratus eſt dare: Solùmque pudor obſtat, & ne malè feriatis inanem, aut moleſtam, anxiamque gloriam captare videatur; quin omnia, omnes, proprio cuique ſermone, edocere valeat: ſed unus ſufficit cunctis Etruſcus, idemque non indignus à cunctis comparari; in quo regnat ille, Philoſophus, Politicus, Theologus, & quo non altiùs aſſurgere poſſit Ingenium Humanum, Vates quoque. At quis de Vatibus loquens, de Te, Divine Filicaia, ſilere poſſit, atque tunc non ſtatim Antiquorum meminerit; aut quis tum non ſe quaſi aſpicere credat, & admire-

retur ſimul Horatios; & Petrarchas, hoc eſt Romam Veterem Auguſti, Romamque denuò in Etruria renatam, atque reviviſcentem; quodque nunquam antea viſum, in uno, ac eodem conjunctos, ac ſpirantes: ipſumque ad ſe lætam Urbem attrahentem; Orbemque dehinc, ſi ſuus non fallat Apollo, attracturum? Quibus verò in oris, non auditus, non cognitus, non celebratus Magliabechius? adeo ut Florentiæ, ubi tanta illarum, quanta non alibi terrarum copia, & præſtantia, conſenſu Eruditorum, non ferè opus ſit Bibliothecis; quique, uti illæ eſſe debeant in conſulentium commodum, Univerſis ſemper quaſi apertus, faciliſque aditu; atque Univerſis itidem utilis? Et quantum mihi quoque gratulor, quòd in area domus, libris undique, & Doctorum Virorum cœtu ſtipata, ac referta, apud eundem pridem viderim, ac poſtea agnoverim, in operibus loquentem, & futura cum noſtro Sœcula, ipſoſque Doctos inſtruentem, Literis, ac comitate, non minùs quàm Natalibus, Illuſtrem, Patrem Quirinum. Et certè maximè Nobilium dos eſt, non ſcientia tumeſcere, ac inflari, nec ſe plus ceteris æſtimare, quia plura ſciunt: ſed certè eo quoque nomine, plurìs ſemper ab aliis æſtimandos. Quem autem non ad ſe trahunt, eruditæ eruditi Principis Coſmi Deliciæ, ducti de marmore vivi vultus,

tus, & ſpirantia Cæſarum ſigna; inque Numiſmatis ſolùm ſervatæ quaſi nunc quoque Livii, Tacitique Hiſtoriæ, & totius Romani Annales Imperii; commiſſæ fidei curæque Bianchii, quarum omnium quidem ille mens eſt, quæ magnam agitat molem, & per quem iſti, Dii Gentium, adhuc vivunt, & nobiſcum colloquuntur. Sed de Veteribus diſſerenti, & Antiqui Ævi Reliquiis, ſanè nefas omittere Senatorem Bonarotam, Maximi Michaelis, ſolius ferè noſtros inter homines, Veterum quaquaversùm verè Æmuli, & Opera Operibus exæquantis, ſtirpem, qui Urbem Æternam ita tenet, ſuamque adeo fecit, in Inſcriptionibus, Marmoribus, ac Columnis; ut ipſum Civem planè Romanum eſſe, ſed Superiorum Sæculorum crederes, ante Gothorum, Vandalorumque Barbara Tempora, tantùm ruinis Imperii, Artiumque, malè nota, vixiſſe. Vetus etiam Græcia, quæ Victorem ſuum cepit, Arteſque in Latium intulit, quibus Roma Varrones, Ciceronesque, Virgilioſque debet, hìc quoque ſuum agnoſcit Salvinum, quos Ille omnes, ut pluribus proſit, Etruſco Idiomate, Latinum Parentem viribus præferente, dulcedine etiam Græcum provocante, exprimit, nobiſque reverà in Academia Orbis nobiliſſima, utiliſſimaque, feliciter repreſentat. Quò, necdum feſſum, quippe Vos inter verſantem,

tem, rapitis, in Mathematicis præſtantiſſimi, Vincenti Ambra, Cognomentum Philoſophi, & apud vulgus quoque imperitum meritò conſequute; & Viviani Avunculi, in literis, & bonis, Heres, ac Succeſſor, Panzanine Abbas? Quò Targeone, quo non alter penitùs, diſtinctiuſque rerum cognoſcit Cauſas, atque Mirantibus Plaudentibuſque monſtrat; novam certamque à Sole, noſtri Anima Mundi, condens Philoſophiam? Quò Medice Papa, cui ſua ſecreta, Natura, ſalutem Princeps, Publicæ Vinculum, commiſit? Quò, Adimare, quaſi in Monte Muſarum, dum ibi reſidet, poſitus; & ex ſeceſſu, inſtruens Mundum, atque hinc in Vitam quaſi alteram futuramque rapiens attollenſque? Utque hæc inter, cum optimo Senatore Bartolino, ſermones miſcere juvat, lenire moleſtias, & labores, & miti, ac hilari ſapientia, diem tranſmittere, nec perdere, ſicque vita Beata, atque ipſis Principibus invidenda frui! Ut circumjacentes Villæ, atque extra Urbem, & numero, & magnificentia, ſed ſine Turba, ſine ſtrepitu, Urbs fermè altera, & aſpectu, & pulchritudine, at quæ maxima voluptas, paucis licet ritè intellecta, & verò paucioribus à ſuperis permiſſa, ſecreto, & ſeceſſu placent; cæteriſque longè, mihi ſaltem præſtans, liberioris Aeris, ſituque nobili, Vitelliorum, à me ſemper memoranda, ſemper

honoranda, Patrui nomine, at præſertim Nicolai Nepotis, magnorum veſtigia Avorum, non ſine laude legentis; cumque ſe quotidie, moreſque, quaſi in ſpeculo, ad optimi Principis exemplar componat formetque, haud inviti cedent majores, interquæ exempla, & ipſe aliquando erit. Sed me tempus, & charta deficerent, inque Volumen, quaſi nondum eſſet epiſtola excreſceret, ſi omnium Nomina proferrem, digna hac in parte proferri, quæque mihi ſolùm cognita : ſed quanta eſt turba reliquorum, colloquiis, aut amicitia, ſed non Orbi, meritis, & fama ex meritis, orta, incognitorum ? Et quot etiam ſunt, quos nimia modeſtia, & pudor, non boni ſemper conſultores in literas Patriamque, adhuc quidem Publico ſubtraxerunt, & invidere? Sed non deerit aliquando occaſio, aut locus, nominandi celebrandique Virtutes nunc omiſſas : & Saniumꝝ ipſum, licet invitum, ſuiſque laudibus obſtantem, apud alios ſaltem deprædicandi : Tunc audiet, conjunctam cum Juriſprudentia Facundiamꝝ, Amœna ſtudiorum negotiis interjecta, muſaſque inviſentes illuſtranteſque forum : Inque eo ipſo, Urbanitatem candoremque, non, uti Plinio olim, & oh utinam falsò! ac uni obſervatùm, malitiam prævalere, neque loci mores, in vitam tranſire. Sed, & Piſæ etiam hoc anni tempore, in Florentiam

tiam tranſmigrarunt, hoc eſt, ipſæ literæ (quid enim Piſis nunc ſupereſt præter Academiam?) in Profeſſoribus ſuis : & id quidem magnum, imo maximum ; quum multò latius ſit ab illis Imperium, minùs certè invidiæ obnoxium, magiſque ſibi ſecurum, aliiſque utile : quàm cum Reſpublica olim, claſſibuſque potens, victricia per Italiam, ac circumjacentes poſitaſque longiùs Inſulas, perque ipſum Orientem, arma circumtulerit ; quando ubique, & ubivis, non tempore, non loco impeditæ, imperent Artes, & ſcientiæ. Et quis quæſo Venerabilem Patrem Roſſum, vel ſublimitate, & varietate erùditionis, vel elegantia, & candore morum, vel gravitate, ac puritate vitæ ſuperat? Certè dignus non ſemper Clauſtris includi, vel Academiæ ſpatiis circumſcribi ; neque ſe tantum, vel Amicos, ſint quoque quamplurimi, in otio erudito quamvis, quodque multò ipſi jucundiùs præſtantiuſque, Religioſo, delectare : ſed præeſſe populo, & denuò repræſentare Sœculo Veteres Ambroſios Auguſtinoſque. Quid Grandio in Mathematicis acutius ſubtiliuſque, & inſtar miraculi, Poeta audire, inter Mathematicos, paucos veſtris numeris celebres? Quis duobus Fratribus Averaniis par, vel ſecundus, & eruditione, & eloquio, utriuſque Latii linguæ? Laus illa Prioris Ævi, & fermè nobis incognita,

Juriſprudentiam cum Eloquentia conciliare : Et quantò minùs frequens inter Canonum Peritos reperire Vates, quæ ſolius, multas inter alias præclaraſque Meliorucciı laus eſt; cui olim Eccleſia Forumque, & quot Sæculis, atque adhuc deſiderata, debebunt Juris Sacri, ac Canonici Digeſta, methodo, ac ordine faciliori, parique facundia, ac viribus, cum illis noſtri Civilis, veterumque, verèque Romanorum! Oh quales hæ, quantæque cauſæ mihi nunc Florentiam cunctis in Orbe locis præferendi! Et, oh parce mea Patria; tuus quandòque totus ero! Et interim quam pauca deſunt, unus, aut alter Amici Placens Uxor, carique, & dulces liberi; oh utinam, & vos quoque olim unà mecum illa teneat! quodque ſi omnia deeſſent Florentiæ, ibi tamèn Nobiliſſimus Anglus, Civis meus, ingenio, ſermone, ſcriptis, bonis artibus, elegantia vitæ, atque morum facilitate, tantùm non Italus, at Florentinus; & utrique noſtrum amiciſſimus Derehamus. Vale. Genuæ x. Kal. Nov. 1706.

AN-

ANTONIO
MAGLIABECHIO. S.

FLORENTIAM.

XVII.

LIteras, Præſtantiſſime Magliabechi, eruditiſſimi noſtri Clerici, nunquam à me ſatis pro ſuis in Rempublicam Literariam meritis æſtimandi prædicandique, ut interim miſſa faciam, quæ nimia comitas in Hoſpitem veſtrum expreſſerit, eodem tempore mihi cum ſuis ad Te quoque, Genuam delatas, nunc demum tranſmitto; ut quam verè, quamque magnificè etiam in eiſdem de Magliabechio ſentiat, inde quoque non minùs quam ex alteris illis agnoſcas. Quas quidem priùs tuo etiam beneficio hic redditas, ſumma cum animi voluptate, ſummo etiam cum fructu legi. Et id quoque mihi multò lætius accidit, quod ipſe fortè, utrique paulò ante incognitus, utriuſque quaſi amicitiæ conciliator, atque ſequeſter fuerim: Amicitiæ inquam, & commercii Literarii, quæ non ſolùm vobis ipſis grata ſint futura, ſed nobis quoque, & Poſteris etiam utilia:

Ta-

Talis quippe conjunctio pariet prolem Literariam, & ejuſmodi filii heroum, ipſi quoque heroes erunt, & à minoribus ſemper colentur. Video etiam ex ſcripto, quàm optimè mecum conveniat, de meritis deque laudibus Italorum Cl: Clericus: ipſe equidem eadem ſenſi, eadem ſemper experientia ductus ſenſurus ſum, dixique in Epiſtola priùs ad te cum Florentiæ unà adeſſemus data, quamvis iſte meliùs feliciùſque, ſuas in literas, victuraſque illas contulerit. Uno ſum fortè ſuperior, beatiorque, eòque lætor ſuperbioque admodùm, quod mihi ex hac legatione conceſſum, ipſos accedere, ac noſcere poſſe, vivas audire voces, & oh utinam neque ipſis quoque ingratas reddere! adeòque non tantùm operibus, ſed, & ſermonibus delectari atque proficere; Illi pridem fama notus, & cui non fama notus Magliabechius? at nunc quidem, & Litterarum etiam commercio; ſed quanto loci, quanto temporis intervallo! ipſe pro libitu ad eundem accedo, ad colloquia admittor, à quibus tamen nunquam libens, nunquam non invitus diſcedo. Audio frequentèr de omnibus diſſerentem, & de omnibus doctè; nunc ſolum, nunc eruditis ſummiſque Viris omnium ferè Gentium, medium atque interpoſitum, & ipſis quoque quin etiam confitentibus, ante abitum eruditioribus. Video ſparſos un-

undequàque librorum theſauros, verèque, & pro numero, & pro æſtimatione theſauros, neque tamen ibi conditos, & quaſi otioſos, atque in ſpectaculum faſtumque tantùm, ſed in uſum paratos; & ſibi, ac amicis, uti Philoſophum vita, non ſola profeſſione decet, communes. Hos conſulere quando lubet, licet; humanitati enim ſolùm cedit eruditio. Solis quaſi inſtar, vapores colligit, qui in pluviam ad publicum bonum, ac in aliorum, & indigentiùm uſus, ac commodum deſcendant. Nunc cum illo inter Bibliothecas verſor, quas ipſe omnes, ut ſuam propriamque novit percurritque; & quaſi cum Magni Ducis, cura cæterarum etiam ſibi, & ſibi uni, commiſſa fuiſſet. Nunc Quirinum viventis eruditionis, pietatis, ac comitatis ſpecimen, Te ſocio, inter libros convenio ſuſpicioque, propriis aliquando, ſuique ingenii fetibus augendos. Veniet ipſe in numerum illuſtrium Auctorum, veniet, dixeram? quaſi in Moſe ſuo, non etiam nunc legeretur, ſemperque legendus ſit. Nunc peragro loca, Savonarolæ olim veſtigiis preſſa, pro Dei Servo, oh titulum ſupra Regum faſtigia! ſuo Sœculo habiti creditique; quæque proximis temporibus, quaſi adorata à Carolo Cæſare, qui ipſe poſtea in Clauſtris, vitam privatam, ſanctam, ſuam, ſapiens Purpuræ, ac Imperio prætulit! Nunc cum eo-

dem Ruris carpo delicias, ác honeſtas voluptates, & unà ad Veteres ſcandimus Feſulas; quarum quoque, ſeu temporis, ſeu vicinorum nimis præpotentium metu, vel injuria, jam ipſæ periere ruinæ: atque inde ſimul aſcendimus Montem Franciſcanum, cujus ad pedes, & in conſpectu jacet patetque tota Florentia tua, mihi ſanè altera Roma, rerumque pulcherrima; ubi teſtimonia adhuc ſervantur, tentatæ olim improſperè cum Græcis, in Sacris, Concordiæ; atque eorundem fidei, nimium cum majoribus ſuis convenientis, mendacis fallaciſque, monumenta. Nunc autem cum paucis, quos inter doctiſſimus, graviſſimus, jucundiſſimuſque ſimul Landius, literis facetiiſque cuncta condiens; & quid mihi cum turba, cum unus ſanè mihi ſufficiat Magliabechius, ſi unum dicere liceat, cujus in pectus veteres cum recentibus migrarunt omnes? Pauperi adſidemus parcæque, qualis mea, menſæ, brevibuſque dapibus; quas ſoli Hoſpites commendant, gratasque reddunt. Hic optima fercula, ſocratici ſermones, vinumque quidem, proprium, ſuæ Hetruriæ faventis, Cœli donum; quo, & priſci Catonis fertur caluiſſe Virtus, neque qualia omni ævo Germanorum pocula, quibus ingenium obruitur, non reficitur, non aſſurgit; ſed Platonis, ſed Horatii æmula, ubi Philoſophiæ, Muſis, Gratiiſque lita-

litatur, erumpuntque cum Virgilii Jopa, in ſuperum, naturæque rerum, inventorumque, ſapientum, memoriam atque encomia. Sed iſta Florentiæ ſolùm inveniuntur, Florentia ſola ergo in Votis, ubi Magliabechio, ubi ſtudiis, ubi Legationis etiam mihi ante alias creditæ negotiis, una quaſi, ac fixa, læta, & ſecura ſedes. Vale. Genuæ. x. Kal. Nov. 1706.

LUCÆ ALBIZIO

SANCTI STEPHANI EQUITI.

PISAS.

XVIII.

TUas mihi ſemper gratiſſimas, Albizj Eques, literas præterita hebdomade Genuæ accepi, lætus quandocunque ab Amicis convenior, commorantibus ſeu Piſis, ſeu Florentiæ, eruditionis, ac urbanitatis ſedibus, benevolè equidem ſuavitèrque de ſalute mea, & de publica una quærentes; & ſanè nunc quoque, ut, & olim,

Omnis in Italia Fatorum vertitur Ordo.

Belgium equidem, ut antea, Belli, ac Armorum; neque minùs Hiſpania, ut ſæculo abhinc, & am-

plius ſegnitiei, ac deſidiæ Domicilium. Vincit verò, ut Mari, ſic, & Terra quoque Anna Anglorum Domina; & pro veteri Regis Henrici Octavi dicto, cui adhæret illa, cæteris præeſt. Sed jam hic caſtris, hyems, & multùm frequentes, & tantùm non continui imbres, adeoque rupta aquis itinera, finem imponent; relictis interim in poteſtate hoſtium tantummodo, cis Montes Suſa Agri Pedemontani Oppido, (nunc enim Montis Ferrati Caſale obſidetur) Cremona, ac Valentia Urbibus, & Mediolani Arce, quæ tamen, & ipſa brevì Cæſarianis, [ſive à Gallis Italia cum Duce pulſis fugatiſque, fractis jam Viribus, ſuccurri non poſſit, ſeu fame preſſa, contra quam Virtus militaris parùm aut nihil prodeſt,] ſuccumbet cedetque nobis, & unà fortè cum Capite Tota Inſubria. Interim ipſe valeo, quantum quis valere queat, libris, ac amicis planè deſtitutus. Attamen memoria ſubinde recurrit, eorum quos Florentiæ reliqui, & inter eos quoque Veſtratium Piſanorum, qui uti audio, ſuas nuper repetierunt Sedes Cathedraſque, & Academiam iterum illuſtrant, & convictu ac colloquiis doctiſſimi humaniſſimique Albizii, mutua cum voluptate, fruuntur. Redeunti ergo ex Villa, miſi, quæ modò Florentiā, de ipſis tunc in Urbe equidem agentibus, ad Juriſconſultum, & Amicum

Sa-

Sanium ſcripſeram; ut & conſtet me memorem illorum vivere, me ſemper optimi Albizii, & optimis dediti, memorem victurum. Vale. Genuæ. Idib. Nov. 1706.

FRANCISCO MARIÆ DUCCIO,

LAURENTIANÆ BIBLIOTHECÆ EX PRÆFECTO.

FLORENTIAM.

XIX.

NON tantùm fas ſit aliena voce, doctiſſime Ducci, de Literis certè, ac de me quoque, ſi non id levius, optime merite, aut verbis Viri boni, ac noſtrum utrique amiciſſimi Laurentii Magnolfi, ſed & meis etiam, manuque ac ſcripto, ut animo teſtari, quantum tibi ob collatum Oroſium, miſſumque dein Cl. Clerico inter Batavos ſtudiis juvandis nato; atque ob novum deinceps priori additum beneficium, pingendo formandoque veteres tam affabrè characteres, ſicque ipſas quaſi venerandas membranas, uti ille loquitur, eruditis hominibus, alioque quaſi in Orbe

positis, repræsentando, & meo, & illius, & publico etiam nomine debeam. Sed non hisce contentus ultrà pergis, sentisque de eo quam par est magnificentius, in quo nihil quis laudare possit, præter studium benè de aliis merendi, quodque optimè velit & literis, atque viris doctis piisque, quos inter, nec notæ, neque meriti postremi, Franciscus Maria Duccius. Neque parùm refert, cæteras inter eximiasque Dotes, callere Artem, qua vitentur errores, scriptoresque antiqui sibi pares, atque ad veritatem exprimantur. Quot varias, ac discordantes Lectiones; quot verbosas ac inamœnas planè disputationes; quot volumina, quantosque Criticorum labores; exscriptorum tantummodo vitia, sive ex incuria, sive ex inscitia, nobis immerentibus dolentibusque pepererunt! Quibus, & quanto meliùs, ac quanto studiorum compendio lucroque, Orbis Literarius caruisset? Quantumque temporis, posterioribus Sæculis nati, perdidimus omnes; quando de vocibus literisque priorum negligentia, si non autem, ut dictum est, turpiùs, & inde fermè necessariò, tantopere litigatur; cùm ad res ipsas evolvendas cognoscendasque, vita etiam vivacissimi non extendatur, neque sufficiat? Perge ergo, præstantissime Ducci, benè mereri de Genere humano, in lucem emittendo Veterum Libros, latitantes adhuc, &

de

deliteſcentes in tua quaſi Laurentiana Bibliotheca; ut optimi poſthac Codices, ſine iſtiuſmodi impedimentis, magis quam Commentariis, quæ intentionem legentium ut plurimùm fruſtrentur tantùm, atque minutiis frangant debilitentque animi vires, aliòque avocent; legantur intelliganturque, ut minori certè incommodo, ſic majori forſitan cum fructu: neque ampliùs pro Criticorum faſtu, pars prima, ac tanquam præcipua Doctrinæ habeatur, de ſyllabis ac verbis, [id ſolum reverà fit] rixari; quo Fama inutilis, ac publico noxia, iſtiuſmodi Scriptoribus comparetur, qui ſibi magni, imò maximi eſſe videntur; at verò aliis, atque prudentibus præſertim, non rarò moleſti aut inepti. Vale. Genuæ. Prid. Non. Dec. 1706.

JOANNI CLERICO.

AMSTELEDAMUM.

XX.

GEnua non ita pridem, ampliſſime Clerice, ubi adhuc ipſe hæreo infelix inter Legationis moras, parum interim, ſi tamen aliquod; agendo, quod vel ad Literas, vel ad negotia ſpectet,

ſtet, Salvini profeſſoris, & græca, & omnigena eruditione, atque ingenio quoque tum domi tum foris clariſſimi, Emendationes, & Correctiones in primum Anthologiæ librum, ac rursùs in Epigrammata quædam adhuc inedita, & ab Holſtenio in Stephanum laudata, Amſteledamum tranſmiſeram; quas demum ſequitur inſerta huic Epiſtola, præterita modò æſtate, ut meam apud te fidem liberarem, Florentiæ ſcripta ad ipſum tum fortè ruri longiùs quam pro more agentem. Hunc verò non tantùm inter Criticos, ſed & inter Poetas quoque recenſeas; qui ſanè idem, & Quintum Calabrum atque Theocritum, hunc rura, & amores Paſtorum, illum autem Homeri æmulum, ac veſtigia Iliados prementem, Heroeſque canentem, & Bella, præter alios fere omnes Epicos Græcos Poetas, Etruſca lingua reddidit æquavitque. His quoque poſtea adjunxeram literas optimi Viri Franciſci Mariæ Duccii, cum aliquot verſibus Oroſiani Codicis ad formam M. S. prout ipſe poſtulabas, delineatis, atque nunc etiam meas, ad eundem quoque, ipſarum comites. In quibus poſtremis, ſi de Criticis Grammaticiſque minùs equidem honorificè ſenſerim, id precor imputes, homini aliquatenus negotiis immerſo, quique libros ipſos Veterum tractare, ac perlegere velit, nudos ſimpliceſque, quam cum vel Scaligeri

geri Salmaſiique ſuper eiſdem notis, aut hujus verboſis admodùm, ac ingentibus Commentariis; doleoque multùm, ipſo quoque præeunte, Magni Scaligeri vices, qui cum ex illis Heroibus unus fieri potuerit, & ad eorum magnitudinem famamque aſſurgere, maluit ferè, Sæculi vitio in imo monte, & quaſi inter Literatores, aut ſi id majus, inter Literatos, ſi non ſolùm præcipuè ſaltem conſiſtere, & par maximis, ſe infra, locum occupare. Non ita Magiſtrum ſequutus Grotius, qui tranſitu tantùm hæc quaſi delibavit; quare in illum poſtea Commentarii, & variorum annotationes editæ conſpiciuntur. Sed neque alios perſequi velim, quam iſtos Aucupes ſyllabarum, verborumque unicè tortores. Cui enim non lecti, quibus non placent, quem non erudiunt, de arte Critices libri? Is equidem Parraſianorumque ſcriptor, inter recentes, noſtrique ævi Quintilianus alter; qui de auctoribus judicia, ac eloquendi precepta, non ſpiritu minori, neque minori facundia protulerit, quam Veteres, Dii illi Literarum, quam ipſi Cicerones Demoſtheneſque. Quantum adhuc præſtitit, quanta & in futurum præſtiturus eſt, & nobis poſteriſque ſuis? Ille verè Philologus, Anthologiam dabit Grotianam, multò quam antea locupletiorem, multò emendatiorem, & ſuis & aliorum laboribus. Ille quoque Oroſium

ſium dabit, qualis ab initio fuerat. Illo magiſtro novimus ipſi, venturique noſcent, quid ætas hæc noſtra in literis ubique Gentium egerit, quantùmque profecerit, ſeque ſuper priores extulerit; (neque enim Natura aut hominum ingenia adhuc effœta ſunt) in mathematicis præſertim diſciplinis, & Arte Medica; quid etiam in commune potuerit volueritque conferre; totaſque demum Reipublicæ Literariæ vires, conſilia, conatus, fineſque uno intuitu conſpicimus. Inde priùs in Bibliotheca ſua Univerſali cuncta Eruditorum Opera, quaſi in tabella ad vivum ſæculo exhibuit, ne quid ipſi neſciremus, & uti olim de Seneca dictum, vel legenda ideo ad exercendum utrinque judicium; in Selecta verò, in ſubſidium ſtudiorum mole librorum ac numero jam laborantium ac fermè fatiſcentium, ea ſola quæ vita ſunt digna, vita, ac immortalitate donavit, uſui ſimul, ac brevitati prudentèr æquè, & benignè conſulens. Vale. Genuæ. xv. Kal. Jan. 1707.

PE-

PETRO HIERONYMO BARCELLINI ROMAM.

XXI.

ME ſanè imprudentem confiteor in errorem incidiſſe, alioſque etiam incogitantiæ meæ nimiùm pœnas dediſſe, cùm Mogarini certè nomen non alibi quam apud Auctorem inveniri poſſit, ac Poeta demum pro ſuo jure, quid enim non Vatibus licet, & honeſtum eſt ! & carmen, idem finxerit, & titulum nomenque. Quod jam tandem cum nova etiam voluptate agnoſces ipſe ex incluſo poemate, à quo cæteris initium; quibus quaſi nunc totus conſeritur hortus, muſis muſarumque cultoribus gratiſſimus; ac omnium ni fallor, quique aut fuerunt, aut futuri ſunt, pulcherrimus: non opus eſt ut quis de præſentibus loquatur, Verſalienſibus, aut Tiburtinis veſtris; hic enim ſemper præſens erit, atque unus, in quem tantummodò, nec Anni tempora, (crede mihi, nunc quoque, at multò quam antea, certiùs Vaticinanti) neque tempus ipſum poteſtatem habet. Prima quidem in India, juxta Luſitano-

rum Goam (dabo enim hiſtoriam reique geſtæ feriem) floris incunabula, inde Petri Regis beneficio, Etruſci Agri, ac Horti Caſtellani inquilinus, Coſmo tantùm Principi diù floruit placuitque, nunc verò, & ipſi, & omnibus, quippe inter perennes relatus, cœlique ſolo, ſi ita loqui fas ſit, inſertus inſituſque poetici, æternitatem Filicaiæ debet. Navigavit quidem Cadaver, ſiccato flore, meam nuper in Angliam, ac noſtra quoque, ab eodem, perpetuo hic in Muſarum Republica Dictatore, civitate donatum : ſed verſibus conditum, manet ac ſemper manebit, & ſupervacuos ſepulchri honores ſpernit. An verè dixerim priùs, non illi anni tempora obeſſe, non aeris, ſeu frigidi nimiùm, ſeu humidi inclementiam, ex accepto herì Carmine, ipſe judex æquus ſententiam feres : vide ergo, & mecum mirare, ut ipſa hyeme, hyemem contemnat, neque id tamen mirum, in Filicaia etenim,

Solemque ſuum, ſua ſydera novit.

Hæc ſunt Xenia, quam jucunda, quam grata? incunte novo anno, à Filicaia, conciliante Illuſtriſſimo Comite Magalotto, eodem cum ipſo Senatore ſpiritu, ac cum Laurentio olim Mediceo, affecto afflatoque, Muſis mihique data ; nunc equidem verè *feror altus* ! hæc etiam noſtra ſunt, & certè placitura Barcellino meo. Vale. Genuæ. Kal. Jan. 1707.

DE

DE MOGARINO AD BRUMAM.

Gelſomino Indiano.

BRuma : anni ſenium te ego ,
Naturæ ac ſterilem dixi opere à ſuo
Deſiſtentis inertiam .
Parce . Ut nil aliud ſpina puerpera eſt ,
Quam non edita adhuc Roſa ;
Sic hyberna quies aut Opus , Embryon
Aut ſaltem eſt operis rude ;
Fecundumque tuo nil magis ocio .
Planta en frigus ab Indica
Defendunt paleæ : jam viduum eſt caput ,
Et ſopitus odor ſilet .
Quid tu ? Pictor opus fingere ceù ſolet
Intra ſiparium , haud ſecus
Clauſam trunco animam clam reparas , novos
Florum in folliculos modò
Erupturam . Helice nunc re adeò in gravi ;
Arctos nunc tibi ſerviat ;
Plantæ omneſque poros , ut magè ferveat
In venis calor , obſera .
Quàm caule uberior de Mogarinio
Mox florum exiliet ſeges !
Quæve illis cupiet non redimirier

Nupta, innuptaque tum coma?
Jam te non vetulam, Bruma, ſed innubam
Decantabo Puellulam,
Sponſabo & numeris tunc ego te meis.

SIMONI IGNATIO
CAVALLI,
ORDINIS SANCTI STEPHANI EQUITI.

PISAS.

XXII.

MIratus ſum equidem priùs, & quis non unà mecum miretur, Illuſtriſſime Ignati Cavalle, in Triremibus, interque Nautas, inveniri conſpicique poſſe, nobiles adeo atque doctos Juvenes, novamque quaſi inſtitutam in Etruſco Mari Academiam, Alteraſque Piſas; ſed non mollem natamque ſtudiis ſedem, non curis, non periculis vacuam: quæ tamen, neque fallor, olim Patriæ dabit, & pacis decora, & belli etiam præſidia. Id nempe nobiliſſimi Ordinis inſtitutum, ut Sancti Stephani Milites, artes primum domi, ſecuri in umbra & otio ediſcant; illarumque dein ſuique ex-

experimentum foris, interque maris undas, contra perpetuos feroſque Chriſtianæ fidei hoſtes faciant ; priùſque belli ac periculorum comites, quam duces fiant. Ita quem ineunte anno præterito Piſis in celeberrimo Collegio, ſeu Palatio potiùs, atque ita verè eſt, ubi pro dignitate habitant, & excoluntur artes, & ſcientiæ, Chriſtianis circumdatum Philoſophis, & nobilium corona juvenum eòdem tendentium, atque ad parem aſpirantium famam, cum nova ſummaque mentis voluptate diſſerentem, ac diſputantem, & Theologi etiam partes, quis facilè credat ? non minore quam illi ipſi etiam laude, acumine, & facundia, ſuſtinentem implentemque, ſuſpexeram ; paucos intra menſes, diverſum quaſi in Orbem delatum, armis ſimul litteriſque intentum, nihil minùs, ipſe cogitans, neque aliud quam iter maritimum Genuam verſus ſuſceptum proſequi, quò me Civium negotia, & maximæ Reginæ juſſa vocabant, in eadem nave Divi Patroni ſui nomine ſuperbiente, qua Magni Etruriæ Ducis beneficio ferebar, lætus atque mirabundus deprehendi. Oh quam felices dixerim, ſeu bella vocent, qui pro aris patriaque pugnent ; ſive mari ſe ſubducant hoſtes, ſuaſque apud oras tutiùs latitent ; otium illud maritimum, legendo atque obſervando, neque inertia, vel ludo tantùm ; aut

nihil

nihil aut turpiter agendo tranſmittant; vel quod proximum, dies magis fallant, quam vivant! Hujus inclytæ veritatis, Tu modò, Eques nobiliſſime, exemplum in hoc ipſo tuo itinerario maritimo, tam doctè, tam facetè, tamque prudentèr pieque confecto, & in publica commoda emiſſo, cujus etiam & me voluiſti, ut priùs quatridui Comitem, ſic & nunc eſſe participem, præclariſſimum ſanè utiliſſimumque dediſti. In eo ſolùm culpandus, quod me longè ſupra meritum extuleris; in quo tamen aliquatenus mihi, licet non ſine rubore quodam, plaudo geſtioque, cnm me Tibi viriſque bonis, exterum hoſpitemque veſtrum, præſertim ſtudiorum cauſa, non penitùs diſplicere ſentio. Vale. Genuæ. viij. Kal. Apr. Die Deiparæ ſacro. 1707.

BE-

BENEDICTUS AVERANIUS

HENRICO DE VILLA NOVA, &c.

GENUAM.

XXIII.

QUidam amici mei edendas curarunt, Henrice Clariſſime, decem diſſertationes, quas vernaculo ſermone conſcriptas proximis annis in conventu doctorum hominum recitavi. Quærenti mihi cui potiſſimum hoc opuſculum dedicarem, tu ſtatim occurriſti, cujus humanitas, & benevolentia, qua me complexus es, ad hujuſmodi munuſculum tibi offerendum me invitaret; dignitas, & amplitudo, & eloquentia, eruditioque ſperare cogeret meos hoſce labores ſub tui nominis umbra tutò in lucem prodituros, & non vulgare lumen à tua claritate in poſterum accepturos. Velim igitur me certiorem facias de tua voluntate, reſcribaſque an tibi cordi futurum ſit obſequium meum: mihi autem nihil accidere gratiùs poteſt, quam ſi annueris votis meis. Cupio enim, & etiam atque etiam à te peto, ut obſervantiæ, & amoris erga te mei ſinas aliquod extare monumen-

mentum, quod ſi fieri poſſit,

Caneſcet Sæclis innumerabilibus:

Sin autem imbecillitati meæ tantum ſperare non licet, & quominus immortalitatem nominis conſequar,

Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis,

Pervelim, ut ſaltem qui nunc homines vivunt, intelligant me tuarum virtutum eſſe maximum admiratorem, nec præſtantiæ tuæ quemquam anteponere. Vale. Piſ. Prid. Id. Apr. an. 1707.

BENEDICTO AVERANIO, &c.

PISAS.

XXIV.

DIE modò Veneris præterito, Optime Doctiſſimeque Benedicte Averani, quo tuæ ſemper & meritò acceptiſſimæ, tum Auctoris cauſa, tum argumenti redditæ erant literæ, proximoque Saturni; inter Legationis Officia, inſtantibus Tabellariis, quæque Comiti Petroburgenſi nuper in Hiſpaniis à Partibus Caroli Regis Armorum Duci, hincque Taurinum properè diſceden-

denti, præſtanda quoque fuerant perfectis, neque mihi ipſi morem gerere, neque grati animi, atque munere tuo quaſi ſuperbientis, indicia proferre priùs licuit. Et quod quæſo grandius præſtantiuſque beneficium Alter in Alterum conferat, quam nominis famam & immortalitatem, quas tuis ſanè operibus inſertus, atque indè monſtratus, quis ſibi non tum ſperare, non vindicare valeat? Neque credo quenquam ita ſecreti, ita ſilentii amantem, ut illi faſtidio ſit, poſtumam certamque anticipare Laudem, aut apud Poſteros ſaltem noſci, ac tenebris & ſepulcro ſic extrahi, tollique humo,

Victorque Virum volitare per ora.

Et tu quidem ille es, qui hoc potis, aut nullus; quem latinè dicentem, vel Ciceronis Roma ſuum facilè, ac libentèr agnoſceret; quem etiam intenta ac acri ſilentio defixa audit; atque peroranti ſocio aſſurgit ſeque inclinat Academia Florentina, ac jure miratur tum veteris tum recentis ſuæ linguæ, ac facundiæ principem. At nonne tunc ipſe inſanire videor, qui ejuſmodi viro Orationem, Genuæ licet paulò ante in Senatu pronunciatam, mittere audeam! curas quippe inter ac negotia, atque ab Hoſpite tantùm, peregrino & Britanno, non populari veſtro, non Cive Italo formatam, quibus ſermo iſte & eloquentia nativæ ſunt ac propriæ dotes. Sed tamen & ad illum quoque

accedit, cujus eruditio comitate, manſuetudine, atque ſumma modeſtia, quæ ſola res in ipſo culpanda, miſcetur ac temperatur, qui neque inter eos ſit, quorum meminit Plinius, neque noſtris temporibus quandòque omiſſum, qui *Amicos ſuos carpere*, *Judicium vocant*. At fortè & imprudentiæ etiam arguar, nec tam civiliter egiſſe, qui demum Piſas Concionem tranſmiſerim, qua priſtini renovantur dolores, victæque Gentis pudor; quaſi & nunc quoque ipſæ liberæ forent, niſi ſit,

..... *Libertas gratior ulla*,
Quam ſub Rege pio.

Sed longè ſuperior elapſo, noſtroque ſæculo, Urbs illa videtur altera victrice ſua, neque domina; cùm in hac artes & ſtudia floreant, & celebrentur, iſti non nota, quodque multò pejus, ac opprobrio majori ſit, non equidem æſtimata. In Academia igitur triumphat de Ligurum Republica Populus veſter, & à vobis Literarum Profeſſoribus habent, quod non ampliùs Genuæ invideant Piſæ. Vale. Genuæ. xii. Kal. Maji 1707.

PE-

PETRO HIERONYMO BARCELLINI, &c. ROMAM.

XXV.

POst nimias ſanè laudes, addis inſuper, *ſed ..... de hac ad te iterum*, de nupera ſcilicet mea concione in Senatu ſcribens, Optime Barcelline, benignitate ſanè ad culpam propiùs accedente, ſed ita clauditur epiſtola; at mihi nunc Genua Florentiam diſcedenti, non ampliùs liberum erat, novam expectare ſcribendi gratiarumque unà agendarum materiem. Romanis verò auribus, atque in Urbe ipſa, Angli hominis Orationem, ac aliis quoque ſcriptam, inque ocio demum lectam, non diſplicuiſſe, magna exigui operis merces, præmiumque ſummum. Hinc denuò crevit audacia, & novum mittendi, aliiſque numeris Opuſculum, ſeu veriùs, habitu tantùm mutato vetus; nec tibi, neque Romæ priùs incognitum: idem Titulus, *Vaticinium*, iidem ſenſus; & oh cum veſtro ſecundo, de eo quoque aut idem ſit vobis cum priore Judicium, aut idem ſaltem error! Ibi quoque iterum legas Noſtrada-

mi Carmina ex ſuo Gallico, in veſtrum propriè ſermonem, Romanum ſcilicet, verſa : Ibi quoque & repetitam cernas, audacter ſanè, poſt cladem etiam in Hiſpaniis acceptam, Caroli Regis magnitudinem, & Britanniæ nunc verè Magnæ, olim maximæ futuræ, Imperium : Scis enim optimè, neutris quidem ipſe accenſendus,

Non ea vis animi, neque tanta ſuperbia,

omnia poetis licere, omnia vatibus eſſe certa. Interim fas ſit mihi optare, Caroli Regis acceſſionem brevì fore Neapolim, atque inde pacem ſaltem Italiæ redituram.

In votis equidem deſinere volebam, ſed cùm etiam præ manibus erat, & aliam prioribus, multùmque quidem diverſam chartam addidi; quando etiam Italiæ, invitus mærenſque loquor, præ aliis ferè Gentibus, non parùm interſit, & ad famam etiam ſpectet, non adeò frequentèr committi homicidia, haſque adeo terras, tam Populorum genio ac indole, quam ſoli Cœlique natura felices, ejuſmodi flagitiis non pollui, neque Summi Numinis iræ vindictæque eo nomine ſubjici exponique. Satis Bello peccatur, ut Pax ſit quoque cruenta; & ipſa itinera, atque avia locorum, Urbibus atque hominum Cœtibus tutiora. Vale. Genuæ. iij. Id. Jun. 1707.

PE-

PETRO HIERONYMO BARCELLINI.

BONONIAM.

XXVI.

NON adhuc vidiſſe Romam, non ſua in Roma Barcellinum, & mihi damno neque modico, ſummoque dolori fuit; non tamen illi potuiſſe modò iterum occurrere, voceſque mutuas gratasque invicem reddere, Florentiam quasi meam nuper delato; & priſtinum dolorem renovavit, & ampliùs indignationem magnoperè accendit. Iraſcebar autem meritò Genuenſibus, qui tantùm, reditum meum, alteram quasi in Patriam, morabantur; adeoque in longum differebant Amicorum occurſus, doctorumque ſermones, ac conſuetudinem virorum, quos Cives ſuos aut Incolas tenet, hæc Urbium pulcherrima, ſinuque ſuo domeſtico amplectitur ſemper fovetque. Quanto verò nunc magis, cum tu interim aliò diſcedis, & hìc non viſum, Bononia, quasi alius Orbis, quasi ultimi mei Britanni, nunc detinet, novoque hoſpite gaudet, ſuiſque læta adſcribit. Tibi interim, Vir optime, munere priùs

in

in Urbe egregiè functo, jam ſacrum cum Dignitate otium alibi contigiſſe gratulor; ideoque ſpero atque opto Bononiam, tibi nunc ipſius Romæ vice, in ſtudiorum æquè oblectamentum ac adjumentum ſucceſſuram. Multum etenim refert, quo loco vivamus, qua conſuetudine utemur: ita ſanè aliud, in Urbe Rerum Domina, ac in Ponto, Ovidio Ingenium. Vellem certè, civitatem illam alteram, ſibi ſemper parem futuram, talemque reverà, qualis erat ſuperioribus ſæculis, quum ubique gentium, pro Legum Domicilio habebatur; vel qualis denique etiam nuper fuerat, ſuo in Malpighio. Ibique demum pingui in ſolo, tuo fruaris ingenio, & quali nunc frueris optima valetudine; atque ſi precibus locus, diu duratura; ne deſit Publico, ac cæteros inter amicos, mihi quoque profuturum, Doctrinæ, Morum, Manſuetudinis etiam Chriſtianæ, Exemplar. Vale Florentiæ. IV. Id. Jul. 1707.

ILLUSTRISSIMO COMITI

LAURENTIO MAGALOTTI.

FLORENTIAM.

XXVII.

ME novum, meumque jam annum inchoantem, Genua primùm ex diuturna mora, & in longum extractis, ac quasi sine fine negotiis minus grata, & deinceps itinere tum maritimo, tum terrestri, tutò citòque expeditum, Tua tandem, nobilissime, atque mihi amicissime quoque, Comes Magalotte, Florentia excepit; suisque deliciis, & Amicorum præsertim doctorumque hominum consuetudine, quos inter utrosque, Tu plurimùm meritò emines, recreat admodum reficitque. Quam verò juvat Angliam, seu nunc lubet cum Patria vocare Magnam Britanniam, antiquam matrem, quasi iterùm agnoscere, & repetere in Etruria; notas invicem audire voces & reddere; sæpiùs interesse eruditorum cœtibus sermonibusque, quibus ali pascique, ac quadantenus, suoque modo, & in quantum mea fert mediocritas, accrescere quoque possit ingenium; me-

meque ita frui planè vita, pridem ſanè per vices tantùm uſurpata, priore melioreque; ſicque una in Florentia, quod vix credendum, vix equidem optandum erat, neque alibi reperiendum, Oxonio ſimul & Londino, hoc eſt ſtudiis, & Republica rei, negotio atque otio, inque cumulum, valetudine quoque in integrum reſtituta, gaudere lætarique? Hicque modò Academias, quam numero dotibuſque varias! Seu publicas, ſeu privatas, frequentare; & ubique adeſſe recitationibus nobiliſſimorum operum, quibus & Veterum mores, atque ingenia denuo, hodierna æmulatur Etruria; modò me in arctius contrahere, & in uno Comite Magalotto, omnes quaſi ſimul inviſere, ſimulque frui Academiis: nunc autem curis de Republica quaſi vacuum, & immunem, aut illis ſaltem pauliſper ſepoſitis, amico, vel libro comite, ſpatiari inter prata, & nemora, turbæ, calorum, moleſtiarumque, brevi illo, at gratiſſimo certè intervallo penitùs expertem; nunc colles ſupinos facileſque ſuperare, atque inde ſubjectam latè planitiem, urbemque ipſam, & juxta ſparſas hinc inde ex omni parte frequentes pulcherrimaſque villas, & ludentem errantemque per campos valleſque Arnum, ingeniorum ſemper vatumque altorem, in proximo ſpectare; nunc temerè viridi in ripa, ſub umbra muſis amica ſedere,

&

& mecum nonnunquam ſine arbitro certare numeris; mox domi redditum, in horto, rus penè alterum reviſere, ac interim dapibus inemptis, ſolique fructibus veſci; ſolitoque dein, meoque acquieſcere lecto; & ſomno repetere, quæ non inviſus, non pœnitendus, priùs obtulerat dies. Sic hic quoque precor Annus, publicas inter curas, atque otium ſubinde, non inhoneſtum, aut indoctum decurrens, nec Patriæ quidem inutilis, neque mihi omninò injucundus tranſeat. Sic Te quoque, optime Virorum, conſcio, neque credo penitùs improbante, mihi veſtra in Patria vivitur, ſic verè vivitur Florentiæ. Vale. Ex ædibus meis Florentiæ. vii. Aug. juxta ſtylum Julianum 1709.

PETRO HIERONYMO
BARCELLINI, &c.

BONONIAM.

XXVIII.

NIhil credas, Optime Barcelline, mihi meiſque optatius unquam, aut gratum magis contingere potuiſſe; quam tibi, vel quibus ipſe benè velis, quod in nobis ſit, præſtare officium.

Neque quod fœmina ſit, quod minor, quod ferè vidua; (quod abſentes enim parùm mortuis diſtant conjuges, id nimiùm expertus loquor) quæ omnia ſupplicem etiam Judici conciliare debeant, tantum apud me valent, quantum fermè unius Barcellinus. Solum at mihi dolet diſplicetque, quod tantummodò inutile nomen præ me feram, quodque ſanè apud alios vix aliquid poſſit, nedum apud Judæum, ac præſertim Liburni commorantem; cum & Gens illa vafritie, ac dolis multum ubique ſe æſtimet; neque alibi magis, quam eo loci rixis litibuſque abundet. Sed tamen ibi non deerit quoque Auratus noſter promovendo negotio, quantum ab illo, Mercatore ſcilicet, ſuiſque ac ſociorum negotiis implicito, expectandum ſit, aut vir acer admodùm, & in jure ac eorum artibus verſatiſſimus, Illuſtriſſimus Alexander Catalanus, amicus meus, patroni atque advocati partes impigrè ſuſcepturus; & ob injurias ipſi modò illatas merito illis infenſior : Sed neque te latet, vir perſpicaciſſime, Juriſconſultos, bonos quidem viros, ſed non nunc Cincia lege obligatos; dum aliorum agunt, ſuam etiam plerumque rem agere; atque in Foro præſertim, ex longiſſimi temporis præſcriptione, vix quidquam gratìs fieri. Utcunque verò, expediantur litis inſtrumenta ac mandatum; atque huc tandem tranſmittantur,

tur, ſeu Bononia, cujus, ut ex fama priùs, jam autem & ex literis patet, tu quidem breve gaudium eris; ſive Roma, quæ læta ſimul ac grata redeuntem excipiet, atque novis inſuper honoribus imperiiſque ornabit augebitque. Experiemur ſanè vires, brevìque videbimus, an ſit ibi juri, an ſit & gratiæ locus : Sententiam demum impetrabit cauſæ æquitas, & fortè amici, ne ſit longiùs dilata; at certè beneficii vice erit, à Judice citò dimitti; atque ita à Cauſidicorum Legulejorumque aliquando ineptiis, ſit verbo venia, at ſanè ſemper moleſtiis, abſolvi atque liberari. Vale. Florentiæ..... 1707.

EIDEM.

ROMAM.

XXIX.

QUod tu mihi injunxeras, optime Barcelline, id equidem nefas non præſtare; neutiquam vero eventum, quod à nobis minimè pendeat. Unum interim metuo, ne egregii Juvenis, de Rege Carolo, deque Patria bene meriti laudes, ut olim de Agrippa, Italo quoque, & à ſummo etiam vate, cive ſuo dictum, ingenii culpa ipſe

deteram. Supereſt tantùm, ut te neque in amicum Gallianum pietatis, neque me mei in utrumque obſequii pœniteat. Vale. Florentiæ. Id. Sept. 1707.

ANTONIO MARIA SALVINO.

XXX.

ITerùm, optime doctiſſimeque Salvine, ad notas atque benignas confugio manus, ut ſit qui luctus legat meos, neque me nimiùm Dolori meo conceſſiſſe credat. Quæ ergo peccaverim, precor, non parcens, neque amici inſtar, emendes; multa quidem aliàs, occupato, & dolenti quoque condonaturus. At non ſolum mea Patria materiem lugendi, ſed & veſtra etiam Etruria, altera quaſi Patria, maximam nuper in Filicaia Senatore, & Vate amiſſo, omnibus equidem præbuit. Id argumentum ut mæroris graviſſimum, ita certè tuo, Vir magne, civiumque ſuorum ingeniis haud impar: & ille dignus, cujus quod nunc unum ſupereſt, colatur grata ſemper, ac quaſi conſecretur memoria. Vale. Florentiæ. Pr. Non. Oct. 1707.

SE-

SEBASTIANO BIANCHI.

XXXI.

NEutiquam mirandum, præſtantiſſime Bianchi, aliqua in Inſcriptione heri viſa minus placuiſſe tibi viro peritiſſimo omnis antiquitatis, quæ quum multa olim opera magnifica, curam tuam, tuumque ſub Optimo Principe Coſmo Decus, equidem produxerit; ea quoque paucis, ut plerumque, vocibus, & ſua quadam majeſtate, commendaverit poſteris. Sed mos alius, ac admodùm diverſus, poſtea obtinuit; ac quædam quaſi verborum pompa, in ſimplicioris ſtyli, & uti videbatur rudioris quodammodò, locum ferè ſucceſſit. Media ergo quadam via nobis fortè incedendum eſt, inter ſimplicitatem illam ſcilicet Veteris ævi, cultumque ac luxum, ut ita dixerim præſentis; atque aliquid etiam noſtrorum hominum auribus concedendum. Satis longo etenim tempore, deliciis quibuſdam, pompæque ſermonis aſſueti ſumus, & inde penitùs recedere, non omnibus certè, neque plurimis quidem placebit: & uti ille dixerat olim, quid ſi ad populum

lum provocabunt Lectores? Quique veteres tantùm ſpectant, (quod ſanè in ſe melius) caveant interim, ne & ipſi ab aliis, licet minùs peritis, attamen numero præſtantibus, inter Novatores etiam habeantur. Obtinet non rarò, imò frequenter Martialis illud,

Mallem Convivis, quam Placuiſſe Cocis.

Cui precor non Cæſaris Commentarii, nudi illi rectique, ac ipſo Cæſare, Imperii Romani (ut verè Magnus Scaliger) ac ſimul Sermonis Principe, digniſſimi, non & olim placuere, non etiam & ſemper placituri ſunt; ſequentibus autem admirationis, quam æmulationis, veriùs materia? Aliter tamen Livius, imperante quoque Auguſto, ſcripſit Hiſtoriam; omnia orationis adhibens ornamenta, atque inter Latinos, Hiſtoriæ etiam pater agnoſcitur. Deflexit à ſeveritate Antiquorum Cicero, & lætiores Orationi intulit locos, atque copia præſtitit; adeo ut non tantùm ſummi Oratoris famam, dum vixerat, aſſequutus fuerit; ſed ut apud Poſteros, ſub eodem nomine, & ipſa etiam contineatur Eloquentia. At fortè quis dixerit, me, hoc obtentu, vitiorum errorumque meorum agere, aut quærere Patrocinium : Non tamen ipſe ideo contumax futurus ſum; ſemper enim melioribus cedere paratus, & Bianchium ſanè pro magiſtro quoque habiturus. Vale. Florentiæ. xv. Kal. Nov. 1707.

PE-

PETRO HIERONYMO BARCELLINI.

XXXII.

TAndem literas ab Excellentiſſimo Comite Daunio, quales fermè optabam, hoc veſpere accepi, hiſpanico ut vides ſermone conſcriptas; multo equidem cum verborum in me honore, neque minori in Gallianum tuum affectu! Et ſanè ipſe libenter crederem, Germanica, ideſt optima fide miſſas. Id certè meretur ſumma Viri virtus, Neapoli ſine vi recepta, Cajeta armis capta, totoque demum Regno pacato; nunquam ſatis deprædicanda. Fauſta ibi quidem omnia & læta; non ita Florentiæ, quæ nuper in Filicaia Senatore maximum ſuum decus amiſit. Et carminum dabit illa brevì pro more proventum in Academia: Sed quis defuncto Vati, aut par erit, aut ſecundus? Quis etenim illum, jucunditate, ſublimitate, proprietate, judicio æquaverit, nedum ſuperaverit? Non erat ab Horatio ad Filicaiam alter Horatius, ut idem quaſi denuò renaſceretur, duo ferè millia annorum requirebantur. Omne ſæculum ſuos jactitat bello Heroes; & quotidiè

tidiè fermè naſcuntur aut fiunt Principes. Novem Lyrici aliquando, ſed non erat alter Pindarus apud Græcos : neque inter Lyricos Latinos, ſi Quintiliano optimo Ingeniorum Judici fides, alius poſt Horatium vel legi dignus Idem erit judicium de Filicaia poſterorum, ut idem quoque fuerit unà Viventium; id enim ejus magnitudini, & felicitati etiam acceſſit; quod ſuperſtes ipſe, ac citra mortem & funus, omnium utroque Latii Sermone, & Carmine, tum Veteri, tum novo, facilè princeps agnoſceretur. Ultima illi Carminis materia, Virgo Deipara : quo etiam mortem, nondum morbo affectus, brevi venturam prædixit ſprevitque, Noſterque adhuc, alteram vitam, veramque Patriam, totus ac unicè ſpirabat. Inde paucos poſt dies, lenta febri correptus ſenex, viribus infirmior, mente vegetus, parque ſibi ad ultimum quaſi ſpiritum, nobis ac ſæculo, cum maximo omnium ordinum dolore, ereptus eſt. Et ille tibi olim, ac Romæ, in Mogarino ſuo cognitus ac laudatus. Ipſe verò non tantùm ſummum Poetam, atque omni alia laude Virum inſignem defleo, ſed Amicum quoque; neque hìc tamen tam meum, quam publicum Luctum refero. Vale. Florentiæ. xv. Kal. Nov. 1707.

GIS-

GISBERTO CUPERO.

DAVENTRIAM.

XXXIII.

ANtonii Magliabechii communis, & nobis atque literis amici beneficio, tuas, præſtantiſſime Cupere, Kal. Oct. modò præteritis Daventriæ ſcriptas nactus, inde & Te benè valere, publici boni ac communium ſtudiorum, neque me tua adhuc excidiſſe memoria, & mei quoque cauſa, non parùm ſanè lætabar. Utque illis benevolentiæ in me ſummæ, civilis prudentiæ, atque eruditionis exquiſitioris pleniſſimis, aliqua ſaltem in parte ſatisfaciam; ſcias nondum typis impreſſum Numiſmatum indicem, ſatis amplum quidem pro materia ingenti variaque, à Fittono pridem confectum, neque tamen hic pro dignitate ſua imprimendum cenſent, quum ærea tantùm, aut pauca ex argento, Græcorum, contineat; in quibus etiam, Latini ſermonis quam Græci peritior, nonnunquam fallitur. Sed planè novus alter, atque plenus, à rei Antiquariæ peritiſſimo, Sebaſtiano Bianchio, cui, iſti theſauri, unà cum tota illa Magni Ducis ſuperba admodùm, ac eru-

dita ſupellectili creduntur, paratur equidem, attamen qui tardè, pro mole ſanè Operis, procedat. Et liber iſte, ſi in publicum prodierit, cuncta etiam Cimelia Medicea, Tibi certo læto, atque unà Orbi Literato exhibebit. Tuque ſanè, tuuſque Spanhemius, eis in litteris, adeoque in omnibus, illuſtria in perpetuum nomina, ſæculum docuiſtis, quantum illæ ad Hiſtoriam, ad mores Principum ac Populorum, ad omnem denique antiquitatem probe perfectèque intelligendam conferant. Inter alia verò ac plurima, quæ in hac Urbe Florentia, (quantum illa Tibi meritò, ut de me interim ſileam, hoc nomine placet?) ac Palatio, quaſi Muſis Gratiiſque dedicato, in augmentum Literarum, atque Ornamentum, quotidie fiunt ab optimo Principe, cui gentilitia eſt, & quaſi Hæreditaria virtus, ad liberos quoque poſteroſque unà cum principatu ventura, animum artibus intendere promovendis, novos prioribus addere theſauros, Gemmarum, Statuarum, Inſcriptionum; & quæcunque vel animos vel oculos eruditiorum elegantiorumque hominum læto ſpectaculo paſcere aut oblectare valeant, novæ etiam Cameræ ac receptacula apparantur; ubi meliùs diſtinctiùſque in ſuorum Exterorumque gratiam commodumque, locentur diſponanturque antiquorum Romanorum domeſticum Inſtru-

ſtrumentum, quod ibi magna copia ſervatur viſiturque, Inſcriptiones veteres, quæ priùs ex omni Italia advectæ, aut frequenter admodùm, & nunc quoque in agro Etruſco, reperiuntur effodiunturque, res Arte etiam, vel Natura ſpectabiles, quas inter nefas erit omittere, cùm alibi fruſtrà, par quid, aut ſimile, per cunctam Europam quæras, omnes fermè inſignium Pictorum ubique gentium effigies, ſua manu depictas, ab Eximio Raphaele ad Carolum uſque Marattam, qui nunc in Vaticano ſub Maximo Clemente artem, quam olim manu inſtruxit ornavitque, non minori quoque hodie cum laude ac utilitate, mente regit; quos inter, Veſtrates Rubenius, Vandikius, Vanderveldius Roterodamenſis, ob Malebrugium Ducem celebris, & quot alii? multùm eminent; eiſdem parietibus incluſas, eoſdemque illuſtrantes videbis, atque mecum admiraberis: Id verò primùm, incæptum auſpiciis Magni iſtius Leopoldi Medicei, Cardinalis, & Philoſophi, uti teſtantur Inſcriptio, & Epigramma, quæ brevì legentur inſculpta ſtatuæ ibidem principe loco ipſi nuper à Sereniſſimo Nepote dedicatæ, ſtudia ac magnificentiam Patrui Majorumque ſuorum piè ac felicitèr æmulante, & quidem ſupergreſſo. At fortè prior illa, infra ſimplicitatem ac majeſtatem Veterum videbitur, poſteriuſque, acumine multùm Græcis, &

Romanis cedet Ingeniis; adeoque ea his tantùm inſervi, ut nova quædam Literaria, & Sequioris ævi fœtum. Par autem ſanè priori optimoque, & poſt Horatium quoque, (quum legem minimè futuris poſuerit Quintilianus) cumque illo ſimul legi dignus, in Patria ac alibi Terrarum, atque à te etiam, vir ſumme, tanti æſtimatus, Filicaia Vates ac Senator, uno paulò plus abhinc menſe, Sæculo, non Famæ deſiit vivere. De quo equidem melioribus deſtitutus, (neque tamen ſilere penitùs aut debeam, aut poſſim) pauca exſcripſi adjunxique, quæ recens à funere, atque luctui planè impar, licet & negotiis eodem tempore occupatus, & penè oppreſſus, in amici cujuſdam ſinum effuderam. Cùmque in tuis etiam facta ſit mentio Clypei Voodvvardiani, aliquando Cuperi Commentariis, illuſtrioris multò futuri; ejuſdem etiam deſcriptionem carmine effictam miſi; & niſi valdè fallor, neque civium meorum indole, neque Italo prorſus cœlo indignam. Unum tantùm in eo notandum, quod in amici laudes effuſior fuerit auctor, nimiùmque in ea parte, ingenio, pro more ſanè Poetarum, indulgens.

Feriæ nunc quidem ſunt in Orbe hoc citra Montes, & Belli, & Negotiorum, & quaſi animorum quoque; attamen multi credunt dolentque,

que, Neapolim hoc anno, nobis, Tolonam atque unà forte pacem eripuiſſe abſtuliſſeque; dum Hiſpania interim, quæ Caroli eſt, ægrè ac vix ſpiritum trahat; & de Catalonia pœne deſperandum fuerit, ni laboranti Provinciæ præſtò aderint noſtra Palatini Militis ex Italia auxilia. Paria ut videres tuis retuli, & oh quam velim, ut mole, ſic etiam & Pretio. Vale. Florentiæ. xvii. Kal. Dec. 1707.

PETRO HIERONYMO
BARCELLINI, &c.
XXXIV.

SI non ſit Tibi, Optime Barcelline; gratulandum, quod tu nunc Romam teneas; at Romæ ſanè mihique gratulandum erit, quod te illa teneat; Negotiis quidem adhuc publiciſque curis occupatum, at deinde multò gratiùs feliciuſque otio, ob honeſtiſſimas juſtiſſimaſque cauſas ac rationes, propter ætatem ſcilicet, ac merita, majori cum dignitate ac lætitia, iterum reſtituendum. Omnes certè Patriæ commodis, ac utilitatibus obſtricti tenemur, neque nobis ſolis vivimus;

in

in ultimos annos licet quidem manus injicere, & reliquias ſaltem vitæ nobiſmetipſi aliquando vindicare. Tibi ætas matura rebus, vegetaque, ac agendis ſufficiens. Non potes adhuc bona cum gratia vacationem munerum, ac laborum petere; neque habes legitimam ſecedendi cauſam, aut excuſationem. Priùs quidem oportet eorum præeſſe rebus, quas nunc ſumma cum fide laudeque tractas procuraſque. Vacare interim curis, intereſſe negotiis debes; ad quæ via optima libris ſternitur ſtudiiſque; hic verus illorum uſus cernitur; hinc anteactorum laborum ratio benè conſtat; huc omnis ſtudentium ſpes tendunt: ſuaque hæc ad extremum, ubi Virtuti locus, præmia conſequuntur.

Quod Ravennæ impreſſa tandem fuerit. Dedicatio libri, qui ipſe interim Florentiæ typis mandabatur, & nunc unà hìc cum Præfatione compingitur venditurque; latiùs ea ratione ſpargitur beneficium; atque eo nomine iterum quoque Romæ multum à Nobis imputandum eſt. Decem verò abhinc dies, librum ipſum cum chartis aliquot eòdem ſpectantibus, per tabellarium hinc ad Vos diſcedentem, tranſmiſi quidem ad Illuſtriſſimum Abbatem Fontaninum, Tui nondum Urbem verſus à Bononia diſceſſu cognito, cujus etiam antea officiis, à doctiſſimo Au-

ctore, Antigermonium. Suum acceperam; multoque cum fructu, uti alii omnes, perlegeram. Nunc Tibi, quoque non magno intervallo idem destinatur, & Petrarcha (quem huic Argumentum operi benè scis dedisse) pro suo jure apud te locum, defensi ab altero Amyntæ, occupabit; supplebitque non minor Hospes, neque planè invitus, Tassi Vatis Vices.

Heri etiam vespere, quo manum amicam aspexi, literas quoque dedi ad Novum Neapolis Proregem, Comitem Daunium; & Dignitatem illi gratulatus sum, qua Genti, quæ ipsius consiliis armisque nuper tam facilis cedebat, præter Cajetam suo malo tandem edoctam, regendæ admovebatur : atque iterum ea occasione, nobilissimi fortissimique Juvenis, Galliani tui, mentionem injeci.

Sed ne vacuæ sint penitus literæ, neque sine munere, (ut & olim apud Orientis Reges) Roma sit adeunda; suæque, Urbi Antiquitates, Veterisque Ævi Reliquiæ, semper in pretio futuræ sint; adjunxi versus, in Clypeum antiquum, nunc etiam Londini Servatum, non domi quidem, sed in Italia natos; & si rectè sentio, antiquam illam artium matrem, & numeris, & spiritu, genioque proximè referentes. At condonabis quædam Amico, & Vati quoque, ad amicum suum scribenti.

Læ-

Lætior illi ſanè materia, quam mihi nuper oblata: multum quippe intereſt Triumphos inter & luctum. Et diſcrimen etiam in ipſo carmine appareret, mihi ſatis eſt doluiſſe mihi, at aliis, at Barcellino, in eo non diſplicuiſſe, id ſupra vota, id beneficii, id præmii loco æſtimandum computandumque. Cur me igitur ad majora viribus vocas, qui vix minimis, & ne vix quidem ſufficio? Maximum illum Virum, ac humanum pœnè faſtigium ſupergreſſum, laudent illi, qui & ipſi laudari velint, quodque multò rarius, etiam laudari mereant. Vale. Florentiæ. x. Kal. Dec. 1707.

JUSTO FONTANINO.

XXXV.

LIteræ quas iij. Non. Decembris Romæ dabas, adeo multa nocte viij. Id. in manus venerunt, ut non priùs potuerim, aut grati, aut læti animi teſtimonium proferre. Et pridem cognovi ex communibus Amicis, Magliabechio, & Barcellino, quam benè de me, & antea etiam ſenſerit, Romæ ſuæ, ac eloquentiæ decus, Fontaninus: id verò gaudium nunc, & meis quoque ocu-

oculis uſurpo, & Doctis adeo notam, lego relegoque manum. Mihi ſanè dolet, parvum, ſi ex mole tantùm ſpectetur æſtimeturque munus, Prælectiones Averanianas, nondum Romæ advectas, aut uon ſaltem partem adhuc Bibliothecæ Fontaninianæ fieri; quibus, ab incomparabili Viro, neque judicio minùs quam ingenio præſtanti, veteris quaſi ævi inter Lyricos Italos Principi Petrarchæ, novum additur decus, & lumen; qui tamen, Romano ſermone, ſibi ſæpiùs impar videtur, quum nos certè nuper Florentiæ amiſerimus, & ſui ſæculi ornamentum, & ſæculorum etiam memoria digniſſimum, *Senatorem atque vatem*, Vincentium de Filicaia, Etruſcæ ſimul, & Latinæ Principem Lyræ; quique non tantùm Carminis dulcedine, ſed & magnificentia ſpiritus excellens, ac uti alter ille Pindarus, verbis ac figuris feliciſſimè audax, (neque Buchananos, aut Caſimiros exceperis) omnes ferè poſt ſe reliquerit. Nam & non rarò aſſurgit, & materiem ac argumentum ſemper implet. Oh parce cultori tuo, qui per Te vivit, atque ſui ſuperſtes erit, Divine Filicaia, nondum ad laudes tuas aſſurgenti, nondum luctui ſuo, nedum publico ſatisfacienti! & juſta quidem nuper eidem fecit Averanius ille noſter, neque hìc pro more mentitur ſepulchrum. Tuque, Vir Optime, in tuis etiam monſtraſti,

quantum & ipſe Illi; quantum & Vobis omnibus debeam, atque futuri quoque temporis debitor ſim futurus; idque rectè nondum edito opere, non peſſimus quidem ea in parte Vates, apud Ipſum, ut videbis, auguratus fueram. Et ſi à laudato Viro laudari non minima æſtimetur felicitas, quanto certè majus, a laudata Gente, non penitùs laude indignum cenſeri? Non equidem cum Imperio Italia exceſſit Doctrina; non quod longè Doctrinæ prævalet Ingenium; non quod omnium quoque maximum, Judicium. Hæ priùs Romanorum Artes, hæ Italorum adhuc; non unquam Gothicæ, non Vandalicæ Virtutes. Sed abſit ut credam, hæc mihi uni dicta, de me ſcripta fuiſſe, ab Auctore magno: ab eo etenim ita tantummodò formantur Legati, quales eſſe voluit, quales eſſe debent, deſcripſit ille ſolùm, ac mente præcepit: Xenophontis ſanè Exemplo; cujus in Cyro legimus, non tam illum Aſiæ Domitorem, quam numeris omnibus abſolutum, ac perfectum planè Principem. Utcunque verò res ceciderit, hac demum mercede placet, hyberno tempore, & flagrante bello, maris hoſtiumque tentaſſe pericula, Germaniæ frigora, ac Heſperiæ ſoles pertuliſſe: Ac ſi bonorum, & Fontanini, ſuique ſimilium, benevolentiam ad ultimum ſervare poſſim, id in Patriam aliquando, bono cum Deo, redi-

tu-

turo, & ſummo Ornamento, & declivioris dein ætatis, non minori ſolatio erit. Vale. Florentiæ. Idibus Dec. 1707.

PETRO HIERONYMO BARCELLINI.

XXXVI.

IN Vita certè communi, Mi Barcelline, plerumque Uſu venit, ut benè Negotiis temperetur Otium, & Otio diſtinguantur Negotia; ne & illud alitèr ignavum atque inutile, nobis ac publicæ rei cedat; atque hæc non intermiſſa, mentem atque unà Corpus nimiùm prægravent. Non peſſimè ergò faciunt, qui ad ſtudia nonnunquam, pro levamento laborum recurrunt; quæ non tantùm publicas non impediant curas, quin eaſdem quoque multò ſuaviores; noſque ipſos etiam ad illas ferendas, fortiores alacrioreſque reddant. Idque non illibentèr ſæpiùs experior, nam & negotiis frequenter admodùm, uti ſcis ipſe, pro munere hic diſtringor; & multo quoque abhinc tempore, quaſi Uni, parùm ſufficeret Florentia, in partem curarum Genua etiam acceſſit:

adeoque illa non rarò, ac per intervalla tantùm, ſed ferè continuò, occupant diſtrahuntque animum, qui tamen, aliquando, ut vides, contrà nititur, ac parumper, quaſi in ſe redit; eoque brevi, ut per æſtatem, ſeceſſu, lætatur reficiturque; novaſque quodammodò vires acquirit. Cur non igitur nobis, ſi tu quoque idem ſenſeris, cum Catullo veſtro demum exclamare liceat libeatque,

Rumoreſque ſenum Severiorum,
Omnes unius æſtimemus aſſis.

Quod verò Tibi, ac eruditiſſimis Romæ Viris, tantùm placuerit, civis mei ac amici Carmen, id ſanè mihi gratiſſimum, tum Argumenti, tum auctoris cauſa, qui & ipſe quoque inter exempla erit, quam parùm amœniora ſtudia gravioribus detrahant. Quæ tamen, amor tuus, cui nonnunquam & optima cedunt judicia, erga me expreſſerit, id gratiæ ſolummodò adſcripſerim, quæ Amici fortè, non Hiſtorici virtus eſt. Id Cicero quidem à Lucceio petivit, atque ſuo demum in Craſſo, non ſibi quoque alienum eſſe duxit, ſub alterius perſona, ſummi Orororis, ſuamque deſcribere eloquentiam: mihi verò meliùs convenit, Martialis illud,

Pauper videri Cinna vult, & eſt pauper.

Bona igitur fide, ipſe egi, quum & Poetam laudaverim ſimul, & excuſaverim. Tentavi denuò

ad

ad conciliandum Galliano tuo, prout ex literis conſtabit, animum Proregis; acceptis interim ex Neapoli plenis in me benevolentiæ alteris, ab eodem. Neque, ut ille olim dixit, *erubeſcit* epiſtola; aut ipſe equidem vereor, ne obſequium in te meum, mihi vitio in poſterum vertatur. Sit felix ille tuus, non moror importunum, non ineptum cenſeri: Fides aut minuet, aut penitùs opprobrium levabit, ſi non & ſolatio quoque, atque etiam non minimo Decori fuerit. Jam credo acceperis legeriſque cum ſumma voluptate eruditum facundumque admodùm Petrarchæ Interpretem, Benedictum Averanium; & cum venia quoque Dedicationem, quæ omiſſo nomine, cuilibet, & ipſi etiam placuiſſet cenſori. Brevì novus incipiet Annus, quem Tibi, literis, Rei Chriſtianæ felicem precor. Vale. Florentiæ. xiij. Kal. Jan. 1707.

BENEDICTO AVERANIO.

XXXVII.

FEriarum tempus, non me adeo immemorem eſſe ſinit officii mei optimum erga Averanium, quominus ipſi non pro more tantùm, plurimam adprecer ſalutem; neque mei minùs, quam Reipublicæ etiam literariæ cauſa, cui ille, toto vitæ ſuæ curſu, inoffenſo equidem, utili, laudatoque, tot ac tanta bona contulerit, atque mihi inſuper, in operibus ſuis, famam quoque, quæ quaſi vita erit altera, neque caſibus obnoxia. Plurimos ergo ipſi annos optans, & ſimul morbis, ac periculo immunes vacuoſque, (quò me & privata officia, & publica ducunt commoda) commune cunctis, neque ſoli Scholæ Piſanæ, profuturum peto Beneficium. In ævi igitur Uſus, & in longum ſuperſit ille, qui bella tandem in otio deſcribat, eodem ſpiritu, quo prius geſta fuerant, eademque ſermonis puritate ac elegantia, qua res memoria digniſſimæ, ritè ad poſteros tranſmittantur, quæ ſanè maximorum Scriptorum, neque laudes adeo frequentes: aut quod cer-

certè multò humano Generi melius futurum ſit feliciuſque, atque longè magis cum moribus genioque Scriptoris conveniet, ita patriam quietem, ita pacis bona, ore calamoque facundo oſtendat, concilietque cunctis, (id verum, id optimum eloquentiæ ac Oratorum munus) ut in poſterum melius edocti, vix reperiantur, qui ſponte in bella ruant, quæque ſemper bella ſequuntur, mala atque ſcelera. Sicque poſt graves adeo, quibus noſtra tamdiu concuſſa eſt Europa, tumultus, depoſito cum Armis bellandi ſtudio, paulatim manſueſcant mores, & in quantum fieri poſſit, denuò aureum recurrat Sæculum, inque ſua ita Principia tandem aliquando Orbis redeat. Fuerint hæc demum ſomniantis vota, atque ſucceſſu caritura, ſanè non multùm abhorrent, ab hoc tempore læto, feſto, pioque, non à votis quoque, non ab ingenio certè optimi Averanii. Vale. Florentiæ. pr. æræ chriſ. 1707.

PE-

PETRO HIERONYMO BARCELLINI.

XXXVIII.

VErum eſt, Optime Barcelline, non ampliùs inter Vivos conſpici Averanium, ſolùmque in ſcriptis vivere, atque fama nunquam intermoritura ſuperſtitem. Deflevimus paulò ante, in Senatore Vatem, & quaſi hoc parùm fuiſſet, geminatis cladibus, totaque ſuada quaſi ſimul ablata, impræſentiarum in Profeſſore Oratorem quoque amiſſum deflemus: adeoque amicæ nunc Civitates, imperioque unà ac dolore conjunctæ Florentia, Filicaiam, Averanium, Piſæ lugent, Academia, & ipſæ literæ, utrumque. Et ad hæc domeſtica fermè vulnera, novum tuumque, minimèque igitur mihi alienum, jam quoque in cumulum acceſſit, ex abrepto fratre, ac tali fratre, tibi, ſanguine, communibus ſtudiis, ac eadem religione, conjunctiſſimo; quemque ipſe priùs ingenio, ac eruditione præſtantem, ex Dantis noſtratis, (civis penè Florentinus ſcribo) Poetæ vindiciis, tuo olim munere, cognoveram colueramque. In luctus certè, ac funera nati ſumus, venietque tem-

tempus, neque hac mundi ætatē, proque variis rerum vicibus, ac calamitatibus, quibus & universi, & ſinguli ſemper ſumus obnoxii, longinquum adeo, cùm & nobis ad plures abeundum erit, & vita functos eadem pietate ſui proſequentur. At ſpero, non morte quaſi aliena, & improviſa, qua huc Roma perlatum eſt, ex fama recenti, & oh utinam falſa! cives meos & amicos, florentibus quoque annis, & tibi etiam non viſu tantùm, ſed & conſuetudine cognitos, exteris in terris, patriaque procul, ereptos, atque in trajiciendo Lirci Flumine, à Neapoli ad vos redeuntes, aquis abreptos abſorptoſque, periiſſe: Sed tamen tuus ille Innocentius, ac illuſtre meorum par Amicorum, non violenta, non ſubita, ſua ſaltem morte defungebantur: exibant de vita, non rapiebantur; ſolo in Patrio, domi atque ſuis in penatibus, inter propinquorum amicorumque amplexus, pia inter deſideria, ac pietatis officia, reddebant animas, volentes ſcienteſque, & inter vota preceſque, ſummo Rectori, ac bonorum remuneratori, ſiſtebantur. Parati itineri, viam ingrediebantur, qua ſolummodò ad Cœlos itur; quæque magna hinc Diſceſſuris felicitas, nihil defuit, quod exituri volebant. Sinu quoque ſuo, condit corpora, parens communis, ex terra producta: neque invidi ampliùs, laudes alienas me-

ritaſque legunt ſuperſtites, quas ſepulchris, ſuorum pietas inſcripſerit; atque ita ad pares etiam capeſſendas virtutes, ſub illuſtri exemplo, incitantur formanturque Poſteri. Vale. Florentiæ. xii. Kal. Feb. 1708.

N. N. S.

XXXIX.

QUam rectè, Vir Reverende, de Virgilii Pollione ſenſeris, quam benè quoque ac magnificè expreſſeris, quæ ſentis, aliorum eſto judicium, eruditione atque pietate præſtantium. Neque Veteres ſemper equidem erraſſe circa Sybillas, aut falſos fuiſſe Patres, vel ſolæ tuæ Sicelides Muſæ, argumento eſſe poſſunt. Et Virgilio debemus, & majeſtati carminis, nemini prorsùs imitabilis, ipſas aliquando vixiſſe Sybillas, atque etiam inter Vates recenſendas fore: Vaticinia quoque earundem, uti vides, neque ea, aut obſcura, aut ambigua, ſed clara, & illuſtria, ad ſuam ille refert ætatem, & Auguſti Principis tempora; quibus certè, & ipſi benè novimus, *Magnum Jovis Incrementum*, novam veramque de Cœlo progeniem,

in

in terras demiſſam, ad pacandum regendumque Orbem patriis virtutibus, novoſque etiam ad mores, ſed reverà antiquos, atque primi aureique ſæculi, inter mortales introducendum reſtituendumque, & ad Leones, ut Virgilianos ſenſus unà hic cum Verbis conferre liceat, cum Armentis, ideſt, homines cum hominibus, conciliandos. Ita de Humani Generis ſtatoris, hoc eſt Meſſiæ Regno, Prophetæ quoque loquuntur; & Iſaiam, & Cumæam Virginem, pari fortè modo, ritè explicaveris. Sanè certum eſt, Sybillas apud Gentes, eodem quaſi ævo, quo apud Hebræos, Prophetas, extitiſſe; & longè ſiquidem antea, eodem tempore, atque eiſdem in regionibus, Moſen, ac Balaamum ſimul vixiſſe, & paria quidem in hac ipſa materie, prædixiſſe; ſi non & clariora, poſteriorem. At quidem, ut ad Iſaiam, ſublimioris Regiique planè ſpiritus Vatem redeam, propiùs ſanè in ſuis, ad ipſius effata, Muſa Maronis accedit, (quod miror adhuc adeo cunctos fugiſſe Interpretes Vaticinium hoc præſertim ad Chriſtum trahentes) quum dicit, hunc ſuum Heroem, perfectorem Naturæ, Mundi Melioris Reſtitutorem Dominumque, infelicem demùm futurum, atque miſerum; ſpretum denique undequaque, ac à Deo quaſi derelictum, ſorteque equidem triſti, ac lugenda maximè conſpicuum,

Incipe parve Puer, cui non riſere Parentes.
Nec Deus hunc menſa, Dea nec dignata cubili eſt.

Cui quæſo hæc conveniunt; non ſanè Pollioni, non Pollionis filio, nec ipſi quidem Auguſto; neque alii alteri, quam Illi ſolùm, qui cum Vate ſacro, & unà, *Princeps Pacis*, & *Vir Dolorum* futurus erat? At me contineo, cùm non adeo multis hæc noſtra forſitan ſint placitura, ſed neque turbæ ſcribo, contentus certè paucis Lectoribus, imò uno ſolo; cui imputandum, ſi quid ipſe auctoritati ejus obſequutus, ſeu me malè ad Exemplar conformans, ſeu non paſſibus æquis ducem ſequens, in hac parte deliquerim, aut via aliquanto deflexerim, atque aberraverim. Vale. Florentiæ. xii. Kal. Feb. 1708.

JOSEPHO AVERANIO.

XL.

PIetas mea erga optimum Benedictum tuum, optime quoque Joſephe, illum tibi ſtudiorum olim, ac individuum vitæ ſocium, & mihi quidem Hoſpiti veſtro exteroque, multis officiis priùs, ſed maximè poſtremo, (ex quo mihi nunc

non

non penitus perire licet;) cognitum, atque ſemper colendum, hoc qualequale Epigramma expreſſit. Felix ſanè, ſi brevi adeo tabella, ſummas ejus virtutes, animumque tam laudis capacem, quam minimè avidum, imò contemptorem planè, aliqua ſaltem ex parte, aſſequutus fuerim; atque parvo, quo potui, carmine, quod Fratrum Averaniorum nomen ſolùm verè præſtare poterit, Poſteris commendare voluerim. Vale. Florentiæ vii. Id. Feb. 1708.

PETRO HIERONYMO BARCELLINI.

XLI.

GRatulor Romæ, atque Tibi ſimul, Optime Barcelline, quod ſe quoque hodiè æmuletur Illa, neque in nova, veterem ampliùs deſiderari permittat; quin etiam, & Philoſophorum quoque diſputationibus ferveat, quæ vix quidem Antiquæ, aut ſaltem rariùs, laus fuerit. Tum ſanè recitabantur, admiſſis amicis, & nonnunquam Populo, Orationes, & Carmina, in eum ferè ſolummodò finem, ut vel adſtantium plauſus

ſus ex conquiſitis undique auditoribus emendicarentur; vel ut illa ſaltem emendatiora, (quod & ipſum quoque non improbandum) ad Poſteros venirent. Altum interim de eis ſilentium, quæ ad veram ſapientiam, atque ſcientiarum Augmenta pertinebant. Nunc verò denuo, ac poſtliminio, ad Urbem quaſi accedit Tuſculum, & in Sancti Euſebii, non uno nomine Tui Doctorumque hominum, Conventu Conſeſſuque, novi demum Cicerones, Varroneſque, de ſummis rebus, literiſque reconditis, diſputantes introducuntur. Lęti undequaque accurrunt Cives, eruditi quidem illi, ac ſapientes, quales eo loco ſpectari debent, qui pro Sacrorum Sede æſtimari velit, quales denique, qui Principe Leone, Civitate Longolium donarunt, atque in Capitolio perorantem, uti alterum Ciceronem, frequentes admiranteſque circumſtiterunt. Et ego quidem paucis abhinc diebus, Apathiſtarum hìc Academiæ, per horas aliquot, non invitus interfui, ubi cum ſoluta Oratione, numeris quoque aſtricta, & utroque ſermone, adhibetur, gratiſque vicibus miſcetur: ſeria jocis temperantur, ac quodammodò exhilarantur: ſuique ſæpiùs, per omnes ſapientiæ, ac eloquentiæ gradus, experimentum non ſine laude faciunt Ingenia Florentina. Et tunc quaſi in ſcenam prodierunt, magna nomina, Salvinus, &

Cor-

Corſinianus, extemporali facundia, ac differendi ſubtilitate clari, atque Sybillæ ibi pro more, neque aliter, quam anus illæ fatidicæ, ſatis etiam obſcuræ, interpretes, unde tamen materies, eruditis facetiis, multò ſale, multo & candore tinctis imbutiſque, multaque inſuper rerum notitia, atque exquiſitis admodum Literis, ferè conditis, uberrima certè ſuppeditatur: adeo ut ad aurium voluptatem, ſtudiorum quoque fructus acceſſerit: At quantum, & ipſe quoque Apathiſtis debeo, quem, doctiſſimum jucundiſſimumque Auditorium, ingredientem, Carmine exceperint, ac ſalutaverint: Liceat ſanè Poetis, ſupra verum quidem efferri, hanc licentiam, velimus nolimus, uſurpabunt illi; ideoque ſemper cum venia audiendi legendique. Elati quippe ipſi ac ſublimes, mediocria fermè ſpernunt, ac ad ſumma quæque nituntur: quamobrem opera ſua, ſuique juris, eſſe omnia credunt, non niſi perfecta, atque abſoluta cerni volunt. Ac prout his, alteris quaſi Diis placet, fingimur formamurque cuncti. Interim ſub Vatibus, tanquam inferior, ſubſidet, neque eorum magnitudinem capit, aut ad eandem aſſurgere valet, ipſa natura humana. In Pallade, Venerem quoque effingunt, tantùm ſolliciti, ne quid ſimulachro deſit. At de illis loquens, non & ipſe tibi abripi, ac longiùs efferri vi-

videor? Quum tamen minimè de via decedo; hoc modo etenim inter Academicos, atque Apathistas adhuc verſor, quorum æternitati nuper nobiliſſima Oda, ac prout ipſius quamplurimæ, divina, quantum contulit, quondam ſui Corporis Decoriſque magna pars, ſummus ille Vatum Filicaia, qua eorundem Dotes, juſtas & inde ſpes hominum, in ſublime extulerat, ac famæ commendaverat? En tibi in fidem, ac veritatis teſtimonium, ipſum jam quoque canentem, ſibique ſuperſtitem ſiſto! Cujus quidem nunc tandem cunctorum manibus teruntur, ac voce cantantur carmina, quibus ſemper Etruria noſtra meritò ſuperbiet, ſeu puritatem ſermonis, ſeu ſuavitatem cum ſpiritu, cumque ingenio ſummo, par etiam judicium conjuncta mireris, invidiam inde aliis gentibus motura; cùmque ſua prodierint quoque Latina, non vanus augur erit, quiſquis dixerit, illa oblivionem ferè cæteris inductura, ſi non & ipſis quoque veterum reliquiis. Hinc igitur ſine veritatis diſpendio legas, quæ de Filicaia, ac Averanio nuper noſtro, ſtudiis etiam, ſed itinere diverſo, facundia quippe, ac dicendi perſuadendique artibus, eandem quaſi laudem aſſecuto, longe majora de me certè meritis, nocte, & inter ſomni moras, mihi modò exciderant Epigrammata. Neque interim moror, an ſi ita fortè aliqui-

bus

bus ineptior videar, an etiam & omnibus, ingenio cedere; quum officium, ac grati animi teſtimonium, ſolummodò præ oculis verſata fuerint, ac penitùs unicèque mentem occupaverint. Sint minùs frequentia precor, hujuſmodi doloris, ac pietatis noſtræ argumenta; neque ipſe, Vir optime, ampliùs in hac parte, amicorum officiis, opus habeas: melius certè erit, non indigere ſolatiis; multùmque placet, quod nuper in mortibus Popularium meorum falſus, atque gratiſſimo demùm errore deceptus, fuerim.

Editionem Florentinam Operum ingenioſiſſimi viri J: Caſæ, emendent ſi velint Neapolitani, & additis optimis Quadrimani præſertim, Severini, ac Callopreſis ſuorum commentariis, locupletiorem in publicum emittant; neque equidem diſplicent bella, modò non convitiis more mulierum agantur, quibus imperium Literarium augebitur.

Me ſuo nomine Barcellinum ſalutare noſter Magliabechius velit, Te meo quoque idem præſtare erga Illuſtriſſimum Fontaninum ipſe peto: illi quidem interim, renovatam ſalutem, huic continuam, optimam utrique, & Amicitiæ, & ſtudiorum ergò exoptans.

Hæc verò ſcribenti, intervenit Dalmata, Ditionis Cæſareæ, Juvenis, & Franciſcani Ordinis

Presbyter, at quid ipſe velit ex adjuncto libello meliùs conſtabit : cæterum non indignus videtur auxilio tuo, & patrocinio, atque ita longiore in Italia mora, ne diceſlu tam feſtinato, ſtudia interrumpantur, & concidant, præſertim cum perficiendis, uti omnes norunt, nullus in Patria locus inveniatur. Vale. Florentiæ. viij. Kal. Mar. 1708.

PETRO HIERONYMO BARCELLINI.

XLII.

QUod te potiſſimùm annitente, optime Barcelline, ſemper adeo facili, ac propenſo admodùm ad benefaciendum ſubveniendumque aliis animo, ſupplici iſti Dalmatæ, ſui tandem Romæ, gratiam in Italia ulterioris moræ fecerint, neque ſpem omnem erranti Juveni, (ſi de eo vera omnia narrantur) penitùs abſciderint & in meliùs quoque, ſi velit, ex Literis proficere; cui ſanè multum conducet, Philoſophiæ, hoc temporis intervallo, uti olim de ſe prodidit Socrates; ac certè multò plus, ſacris operam dare, quod in-

innumeris ferè omni ævo exemplis conſtitit ; neque fermè aliter fieri poteſt, ſi in Mores plerumque, ſtudia tranſeant ; id mihi quidem gratum, illi utile, neque tibi opprobrio futurum ſpero: Nec hìc ſanè meis partibus defui, ſi ſint ullæ meæ in hoc negotio partes. Quid demum præſtiterim denique, tibi obſequens, aut quid ſanè præſtare debuerim, hæc ad ipſum adhortatio docebit ; brevis quidem, & ſi Londini fuiſſem, atque Anglus alter eſſet, monitori in ea, ac Judici propior.

Interim quod benè cedat ſtudiis, & Literis quantum in me eſt, promovendis, quibus animum tantùm, non vires confero, munuſculum mitto, ſi ita tibi tuoque Zacagnio placuerit, Vaticanas quoque auƈturum opes; cum & locum eidem priùs etiam inter Mediceas dederit, Summi Principis benignitate, Magliabechius noſter. Hoſpitem verò, vos verſus iter facientem, carminis quoque commeatu inſtruxi ; utque ſimilis conditionis comes non deeſſet, majoris cultus cauſa, Inſcriptionem etiam ad Magnum Etruriæ Ducem adjeci. Ex eis autem facilè conſtabit, quid ipſe de vero Auƈtore, nam antea ſub fiƈto pioque nomine latuit ; deque ipſo Opere ſentiam ; doƈto ſanè, ſi quod aliud, ac laborioſo, altique ingenii, imò ſublimioris : in quo multa cernas, quæ ſu-

pra Vulgi longè captum, doctiſſimos quoque adhuc viros tantum non effugerint. Sed inter alia, Aphoriſmi de Morbis Epidemicis, & Peſte, principia ſua, quibus totum fermè innititur, clariùs exhibebunt : neque tamen illud primo fortè aſpectu, aut placebit, aut fidem etiam apud Lectores, præſertim malevolos, aut otioſos, inveniet. Quem verò fugit, quam præterito noſtroque Sæculo, nova quædam Naturæ facies, Vitrorum ope cunctis apparuerit; minima in juſtam magnitudinem excreverint, & quæ maxima reverà fuerint, non nunc ut minima cernuntur? Hinc fermè nulla in Orbe res tam exigua, quæ Hovkii Noſtratis, non dico menti, ſed ne aſpectui quoque, ſe ſubtrahere potuerit : Hinc Batavo Leuuinhokio præeunte, omnis Natura, quaſi ſemel ſimulque fuerit formata, in ſemine conſpicitur, Munduſque in qualibet ſui parte, vita ac ſpiritu indutus agnoſcitur : Inde etiam Florentiæ, Seni Galilæo primùm, ſtellæ fulſerunt Mediceæ, futuris fortè Sæculis in Oceano navigantibus itinera non minus certa deſcripturæ, quam hodie in Terra ex chartis fiunt : Oculis nunc tandem creditur, neque tam rationibus, ac argumentis, quam ſenſibus ipſis, ac experimentis manu factis ducti, tanti Philoſophi, noſtra ætate, ac verè ſapientes extitere. Si quis igitur Cœleſtium motus,

interque ſe ſitum ritè obſervans, cum eis quæ hìc in terris accidunt, ſedulò ipſe contulerit, forſitan Aſtrologus quoque brevi deveniet, ſed ſanus, neque ſibi aliiſve planè inutilis, noxiuſve. Aeris quippe Telluriſque hìc magis, quam Hominum fortuna verſatur; ex quo tamen, plurima mala, aut bona, ad ipſos redundabunt. Vide quæſo, quæ Auctor ipſe de maris fluminumque motibus ſcribens, de inundationibus Tiberis ad Romam, & Oceani in Batavia, ex Hiſtoriis deſumpta, convenientia omnimodò cum hac ſua cœleſti doctrina, & philoſophia, in publicos uſus produxerit. Liceatque nobis ex præterito judicium etiam de futuris capere; at utinam quidem fides, ea in parte Operis, ipſi olim penitùs defuerit! Sed nemo viam ſibi monſtrantem dedignatur, nemo ſanus illi ea ratione meritò iraſcitur, quamvis aſpera ſit iſta, & prærupta, aut cœno vel aquis obducta, ac profundior: Ex præparatò meliùs certè iter ingrediatur, quæque ad illud conficiendum tutiùs, atque minori incommodo conducant, ſi ſapiat, monitus comparabit. Sed nolo diutiùs hoc Argumentum proſequi, cùm præ manibus liber erit, cujus denique ex præfatione, totius præjudicium capias; qua perlecta, ab reliquo Opere, ſi poſſis, abſtineas. Vale. Piſis. vii. Id. Mar. 1708.

CA-

CALISTO TRAGURIENSI. S.

XLIII.

INdulfere precibus tua nuper ex parte oblatis, qui illi negotio Romæ præficiuntur, uti demum ſtudiis adhuc in Italia, ſed tamen alibi quam Liburni, cùm id ipſis minimè placeat, vacare poſſis; quod ut & tibi, ac Publicæ rei olim benè vertat, ex animo precor: At ſanè tua plurimum intereſt, ut vita interim probè, ac in futurum cum laude quoque, hiſce in Regionibus, tranſacta, in patriam tandem revertaris, non minùs moribus probandus, quam doctrina auctior. Vale. Piſis. vii. Id. Mar. 1708.

PETRO HIERONYMO BARCELLINI.

XLIV.

TUA adeo mentem occupat Roma, ut penè nunc quoque apud vos interſim, neque adhuc à Barcellini mei Latere divulſus; cum non aliud

aliud ferè animo obverſetur, quam in Reliquiis ſuis, Veteris majeſtas Imperii, inque ſacris ædibus procerumque, noſtrorum quoque temporum cultus nitorque : Cunctaque etiam denuò renovata, & tanquam de novo repræſentata tuis in Literis, amplis ſanè ac facundis, nimiiſque ſolummodò, quando de me loquuntur : In quibus autem non tantùm Barcellinum pro more familiaritèr doctèque differentem cerno atque agnoſco; ſed & videor etiam ipſe, quod præſenti negatum, ſeu potiùs præreptùm, qua occaſione ſciunt omnes, beneficium, ſummi quoque Clementis aſpectui ſermonibuſque demum admoveri. Si vero carmina non penitùs diſplicuerint, haud id verſibus, ſed materiæ, ſeu veriùs Principis indulgentiæ tribuendum, quorum equidem ſumma, ſi non & unica laus fuerit, Pontificem aliquando, talemque præcipuè Pontificem, habuiſſe Lectorem. Et ſanè benè ac ſapientèr feciſti, quod etiam Iſaaci Nervtoni Equitis, Mathematicorum fortè omni Sæculo Principis, Opticam addideris, non tam quòd ejuſdem gentis, ac nominis fuerit, quæ ſanè parùm referunt ; ſed quod optimo rerum judici, non poſſit non Summopere Auctor placere, adeoque publico magis prodeſſe, qui ſi quis alius inter recentes, æternitati ſcribit. Interim inter alia plurima, unum mihi præſertim valdè dolet ex diſceſſu,

ni-

nimiùm profectò pro votis, negotiis aliò avocantibus, festinato; (at quis unquam libens Roma discedit?) Me multò minùs ea ratione, quam volebam, quam sperabam etiam, insignium eruditione moribusque Virorum, (qui vera ac viventia Urbis Orbisque Decora) interfuisse Colloquiis, ac Disputationibus, quæ fermè quotidie ibidem, magno suorum exterorumque commodo, ac communium Literarum, celebrantur; nedum eorundem familiares, ac interiores excepisse sermones, quos noscere, noscique invicem ipsis, neque solummodò, ut Scientiarum Artiumque Præsides, & Exempla, sed ut amicos invisere, ac colere, maximè cupiebam. Quantum igitur credas, voluptatis perdiderim, quod non Conviva fuerim, uti scribis, vel ipse inter Convivas habuerim, Blanchinium, Santinum, Illustrissimos Abbates, Fontaninum, Bencinum, Vignolium, Cargofilum, Comitem Paci, Summam, ut rectè dicis, eruditionis, (& qualis quantaque illa) Romanæ, & ultimo loco inter Literarum proceres positum, pro comitate sua, ac modestia, sed non inter postremos, optimum Barcellinum: Oh quam victura in omne ævum nomina! omnes verè Cives Romanos, veterumque illorum Majorumque suorum Studiis, æmulos paresque! oh diem lætum ac beatum! Sympositumque quale olim sapien-

pientium inter Græcos illos antiquos, cùm nondum ſervierint ingenia quoque, ſed liberi, liberè philoſophabantur: oh tempora, oh mores, jucundum ſimulque doctum! at heu nunc amiſſum, priùs quam cognitum! Interim Cunctos meo precor nomine ſalutes, alioſque ejuſdem notæ, ſi qui fuerint adhuc, mei, Romæ memores; ſciantque ſi mihi reviſendæ Urbis, quæ vel,

.... *Decies repetita placebit,*

copia unquam contigerit, id non tam Romæ, quam illis, ideoque mihimetipſi dandum: atque utinam inde iterum, unà vobiſcum liceat, Vatis veſtri Severi Carmen repetere,

Hic meus eſt, dixere, dies.

Vale. Florentiæ 1708.

NOBILISSIMO VIRO

JOHANNI JOSEPHO

MARCHIONI ORSI.

BONONIAM.

XLV.

NON tantùm cum ſuprema mentis lætitia, ſed & quadam etiam, ut ita dicam, ſuperbia atque elatione, accepi evolvique libros, mandato tuo, Illuſtriſſime Urſe, mihi hìc nuper

à doctiſſimo humaniſſimoque Gornia Medico redditos, gentis Italæ, ac omnimodæ veſtræ eloquentiæ, vindices; neque certè minùs ejuſmodi ſimul eruditionis, quæ nobili ſummæque conditionis viro convenit; quam & in me quoque optimæ voluntatis, teſtimonium planè indiceſque. At ipſe olim domi ab ineunte ætate veterum ſemper Scriptorum admirator, recentiumque in hac quaſi magnorum ingeniorum patria cultor, nunc verò Etruriæ, quæ poſteriori ævo tantùm non linguæ ingeniique unà domicilium, hoſpes jam ſupra triennium, atque ita pænè conſuetudine domeſtica veſter, non potui quin multùm indignari Aliis, ſic in omni parte, ſeu ſermo ipſe, ſeu dicendi lepòres, ſeu ſententiæ, ſive acutæ, ſive ſublimes, ſpectentur, adeo vobis, minoribus, qui tamen hærentem Capiti veſtro pro meritis coronam detrahere velint, ſeque vobis, rebus ipſis ac reclamante Orbe, præferre nitantur. Quam verò iniquè ac fruſtrà, tuis modò ex Operibus, Dialogiſque priorum optimorumque, & facundia judicioque æmulis, præſens ætas agnoſcit, diſcentque Poſteri. Quin interim illi judicent de ſuis ſolummodò Auctoribus, atque invicem inter ipſos otioſi committant: hac ſe tutò in palæſtra exerceant, neutiquam hìc quidem cæteris injuriam facient, neque tam facilis in errores lapſus: & ſi aliquando pec-

peccaverint ex malitia, ut Critici ferè ubique ſunt Genus Hominum malignum; ab ignorantia ſaltem ſecuri erunt. Sed in poſterum deſiſtant à judicio in eos proferendo, in quos nullam habent poteſtatem, quorumque etiam inſtituta, aut non fortè ſemper optimè norunt, aut non ſatis felicitèr ubique aſſequuntur. Importunus procul dubio fuerit, quiſquis aut Cicerones expectet, & Virgilios, aut Petrarchas, & Filicaias; qui vel longam ætatem tulerunt, vel etiam ad poſterorum judicium provocare gaudeant. Non iidem gentibus mores, à quibus tamen multùm dependet Scriptorum æternitas. Sunt ſanè quædam ingenia, quæ ſuo ſæculo placent; ſed gratia eorundem brevì perit, neque poſtea facilè in ipſis bibliothecis reperias. Novi magna nomina, quibus recitandis, ne aut malignus, aut ambitioſus eſſe videar, ſuperſedeo equidem, quæque multò antea in ipſa Academia, & apud Populum inclaruerunt, quorum Opuſcula, quæ deinceps excreverunt, blandientibus primò Amicis, mox ipſis ſibi, in plurium Voluminum molem, vix ſunt qui nunc quidem legant, atque nemo paucos forſitan intra annos lecturus ſit. Et tamen inter illos erat, cui Tullius Pliniuſque ſordebant. Norunt verò Cives tui, exterique novimus; quæ nuper ipſe in tuis omnibus præſtiteris, quibus & unà ſuam An-

tiquitati priſtinam gloriam, ac præſentem dignitatem ſervaveris Patriæ; cui ultrò plaudunt faventque æqui omnes, utpote in qua ipſæ litteræ, nec exiguo intervallo, veteris Reipublicæ, ac primis Imperii temporibus maximè floruerunt, ac deinceps poſt depulſam barbariem renaſcebantur, ac refloreſcebant iterum; unde quoque Tranſalpinæ Gentes, cunctas artes, atque noſtra lumina debemus. Hoc juſti gratique teſtamur Angli, neque alteris illis, vobis etiam judicibus, qui plurimum ea dote, publico conſenſu præſtatis, aut diſciplinis, aut ingenio, aut Armis denique, belloque inferiores.

Si quid verò poſthac ex meis adjunxero, id tibi, vir præſtantiſſime, imputaveris, cujus in me beneficia non permiſere, aut mihi ampliùs ſilere, aut in alio genere, licet longè imparem, penitùs ingratum aut immemorem fore; niſi etiam & venia aliquatenùs detur, Utriuſque Patriæ, tum Italiæ, tum Britanniæ, & vetera, & recentia ſua Decora celebranti. Vale. Florentiæ. xi. Kal. Aug. 1708.

PETRO HIERONYMO BARCELLINI.

XLVI.

UTinam ipſe, jucùndiſſime Barcellline, tam læto ſermone uti poſſim, tibi gratulando reſtitutam ſalutem, quam tu in deſcribendis doloribus uſus fueris. ſed me etiamnum metus ac quidam horror circumſtant; & videor amico, & periclitanti quaſi adhuc, aſſiſtere, & unà ſuis moleſtiis affici, ſuis angoribus laborare. Nondum enim ad priorem ſtatum revocata mens, vires recolligit priſtinas, atque in numeros audet prorumpere. Non illis locus inter voces, & fidiculas medicorum, quæ tamen ſcientiam ac remedia, proh Deum Hominumque fidem! vocant iſti; mihique ſalus quaſi continua, non alio magis placet nomine, quam quòd liber penè fuerim ab his eruditis periculoſiſque ineptiis, ac eorundem Doctrina, multo ſanè labore, neque minùs multorum mortibus, quæ Experentia indigitatur, comparata: Hi quoque Heroes, hominum ſtragè priùs inclareſcunt, magnique fiunt, deinde ſalutis arbitri, vitæ neciſque poteſtatem in libera civitate ob-

obtinent : at ſi quis tandem manibus eorum elapſus, morbum effugerit, ſeu natura ad ultimum, ſeu longa die, luem expellente, opibus mulctatus, pro majori ſaltem parte, alio dein remedio, contra eorum remedia, opus habet, & ipſa poſtea medicina, quaſi novo morbo, difficilique admodùm laborat; atque ad vires corporis, animique robur reficiendum, & aerem ſalubrem, multumque temporis, curis mediciſque vacuum, requirit. At ſpero quod peccavit Julius, ſi quid demum reſtet infirmitatis, mitiores emendabunt feriæ Septembres; atque ad ſanitatem certè multo plus conferet Montis Portii Caſtrum, ruſque inter Colles ſuburbanum, quam tota Galeni Secta Scholaque. Multos interim tibi precor annos, ſed non hoc calculo diſtinguendos. Vale. Florentiæ. Pri. Kal. Aug. 1708.

CO-

COLUMBINO BASSI

VALLIS UMBROSÆ ABBATI.

XLVII.

Mihi admodùm dolet, Reverende Pater, te heri Florentiam, non etiam & me unà, hoſpitem nuper veſtrum, veſtrique ſemper cultorem futurum, inviſiſſe; qui ſanè gratus recordor amœniſſimi ſeceſſus, ac ſecreti veſtri Vallumbroſani; & tecnm ſimul conſuetudinis, cumque ſanctis ibidem moribus viris, ſumma non modò cum oculorum voluptate, ſed & animi etiam cum fructu habitæ. Erupit ergo, tardiùs licet aliquantò, in numeros, mentis affectus. Vobis interim mihi in excuſationem, atque in exemplum præeuntibus; unde etiam & illos, uti æquum erat, & officii mei, meæque in vos perpetuæ, ſi ita fieri poſſit, veſtramque domum gratitudinis teſtes, nunc demum, ſtatimque ut exciderant, miſerim: & oh utinam, ut certè cunctis, viſa, Vallis Umbroſa, ita & deſcripta quoque, placeret! Sed id vel optare nimis temerarium, quuum alteram Vallem Umbroſam facere, neutiquam quidem fuerit humanarum aut virium, aut Ingenii. Vale Florentiæ. xix. Kal. Septemb. 1708.

PE-

PETRO HIERONYMO BARCELLINI.

XLVIII.

QUid ipſe ſenſerim, Vir optime, quid imò & ſcripſerim de amœno admodùm, ac Religioſo Vallis Umbroſæ Receſſu, breve hoc ac rude carmen, indicio ſimul erit, & fortè quoque, non equidem pari, ipſi argumento, atque ejus ſublimitati, qualiquali Encomio. Interim ſummoperè placet, quod à tuis non multùm diverſa, & ipſe dederim: cùm Amicorum ſit idem velle, atque nolle, & cogitationes quoque, ſi fieri poſſit, ut alia omnia, communes atque eaſdem habere. Nolui ergò quin ſtatim, atque eodem pænè momento reſcribere, quantum inde voluptatis, neque citò tranſituræ, aut perituræ hauſerim. Tu quidem ad Libyam, & Ægypti arenas, ſanctumque Antonium provocas; ipſe te revoco ad mitiora loca, ad Solitudines Etruſcas, ac Colúmbinum Abbatem. Veteres miramur, præſentium incurioſi, uti ille Politicorum Philoſophus, atque alter ante Poetarum quoque: quum illorum vitam æmulentur recentes, atque horum certè vita magis

ad

ad cultum civilem accedat, & hìc noſter in cœtu vivens, non ſibi uni, ſed pluribus proſit, neque exemplo tantùm, ſed & ſermonibus etiam, & quotidiano inter plurimos convictu. Delibavi etiam pauca de utroque meo Itinere, tum Romano, tum Vallumbroſano, ex Epiſtola ad Amicum, atque in Angliam hodierno die tranſmiſſa; ubi & Barcellini inter eruditionis Proceres, nomen leges, memoriamque nominum, imò nominis, nunquam apud me interituri, ſervatam agnoſces. Sed non amplius, ne modeſtiam onerem, quum veritatem, ac ſimplicitatem profitenti, reſpondere etiam debeat oratio. Vale. Florentiæ. xii. Kal. Septemb. 1708.

JOHANNI DOMINO SOMMERS.

XLIX.

SI fortè ſcire velis, mi Domine, quid Florentiæ faciat, quomodò tuus agat Henricus, ſequens pagina, brevi quaſi totum exhibens tabella, explicabit, quænam hìc terrarum nuper egerit, rerum ejus ſtatum hodiernum, conſilia, & in fu-

turum quoque vota, ſuo quæ omnia Natali, de ſe, & ad ſe ſcribens, Antonini inſtar alterius, ſed privati, ſuoque ſe planè metientis modulo, elucubraverit.

Accedit præteritis jam annis novus, ac ſupra quinquageſimum octavus; fini equidem ætatis, quam initio propior multò: ſanè Scaldim ad flumen pugna, ſub Auſpiciis Annæ Reginæ, ac Præfecti Armorum Marlburii Ductu, ſpeque exinde proxima pacis, toti Europæ, non minùs deſideratæ, quam utilis ac penè neceſſariæ, neque Britannis penitùs ingloriæ, memorabilis: Mihi verò, ut nec mala fortuna, quod lucro quoque computandum; ita nec bona admodùm, quod neque ipſum adhuc diſplicet, diſtinctus: ſed per omnia ferè, idque mihi ſatis, in hac præſertim ætate, animo varios ſubitoſque caſus atque incerta rerum ſecum reputanti atque expendenti, neque pro honoribus opibuſque anxio aut ſollicito; ſimilis triennio huic jam priùs placidè, quantum à patrio ſolo, ab Amicis, atque à Familia, remoto, contingere poterit, in Italia tranſmiſſo. Interim Itinere uno atque altero, & aliquoties carmine, levi neque operoſo; atque ex eo quoque nomine, licet immeritò, inexpectatò certè, neque ſpontè in Arcadiam Romanam cooptatus; Curas modò fallere, atque ex publico onere, moleſtias, mentem-

temque unà vireſque reficere paululùm libuit. Inde Romam medio Vere, inde & Vallem Umbroſam Etruſcorum, nondum exacta Æſtate, inviſeram traſcurreramque; ut demum ante calores, Urbem adirem; atque in altero illo receſſu, inter adſitos montes ac nemora, ipſos parumper, jam pro anni tempore nimios, minùs, imò ne quidem, ſentirem : & Utrumque pro votis ſucceſſit, nihilque in alterutro diſplicuit, niſi quod longior mora, ex negotiis, ac Legationis munere, non fuerit conceſſa. Oh Urbem, ipſis atque in ruinis, cæteris omnibus auguſtiorem! oh Urbem, & præſenti quoque cultu, cunctis etiam pulchriorem! Tu mentem monumentis antiquis allicis paſciſque; Tu oculos ex aſpectu templorum atque contemplatione, palatiorumque, totque ibi congeſtis artium miraculis, tabulis, ſignis, columnis, tum veterum, tum recentium, noſtrorumque etiam temporum, erudita & infinita quadam voluptate perfundis detineſque! Alteri ſanè placeat Majeſtas Sacrorum, atque illorum Princeps, ſupremæ non impar Dignitati : ipſe autem neutiquam omiſerim vera, ac ſpirantia Urbis ſæculique ornamenta, deliciaſque meas, ſi non id nimis ſuperbum, Leonem Strozzi, Comitis Magalotti amicitia florentem, Tuſcum Equitem Maffeum, Bianchinum, Cargofilum, Zacagnium, Vignolium, Fontani-

num, meumque Barcellinum, alteram quaſi priſtinamque Romam. Neapolis quoque in acceſſionem venit, amplitudine ac pulchritudine ſua, ſitu in ſinu maris placidiſſimi, frequentibus, ac amœniſſimis hinc inde Inſulis ſurgentibus interpoſiti; ſoli contermini admirabili fecunditate, atque horrore etiam & cineribus Veſuvii, nimiùm ſanè vicini; Puteolorum Baiarumque reliquiis, tantùm à Vatibus, ac felicibus priorum poſteriorumque temporum ingeniis celebratarum; villarumque ruinis, Marii, Luculli, Cæſaris, Procerumque Romanorum, Urbium inſtar; ſtrato & nunc in parte freto ingenti inſanientis Tyranni mole; ipſius denique Naturæ quaquaversùm ſe oſtentantibus miraculis, nobilis admodùm atque memoranda. Nec ibi quidem te Maro Divine, Sacroſque Cineres inſalutatos dimittam, Hederæque Laurorumque obliviſcar unquam, quibus coronatur Urna, gaudentque (ſi ita de illo eloqui fas eſt) Manes, quaſque ſemper æterna fronde in Vatis memoriam cultumque florere voluit ſua quaſi Rerum Natura. Hinc ægrè, vixque mei compotem, abreptum, pulchra iterum detinuit per menſes aliquot, Florentia; cum Urbis pœne hac anni tempeſtate incommodis, ſirioque Sydere, laborantem, recreavere Vallis Umbroſæ, & Camalduli Umbræ; nec penitùs diſplicuere Sylvæ horridiores,

res, ac abrupta, & minantia Alverniæ Saxa Rupesque; D. Franciſci olim, quis credat, deliciæ, atque nunc ex Illo Nominatorum Sedes, vicinis ac remotioribus venerabilis. Ubique quoque, & in Urbe, atque Ruri, Coſmum Principem, faventem admodùm ſenſi, multa cum comitate, illìc à Legato ſuo, hìc à Patribus exceptus. Inque grati animi, atque itineris teſtimonium, ac monumentum, & Hadriani Imperatoris Villam, oh mundi vices! jam quaſi in ſolitudinem converſam; alteramque verè ex inſtituto, atque loco ſolitudinem, ac quidem, quod maximè convenit, religioſam, numeris aggreſſus ſum; adnixus, ſi quid ipſe potuerim, incaſſum fortè, illam tempori atque oblivioni eripere atque ſubtrahere; hanc ipſis urbibus, ac Regum Palatii pro veritate præferre; ſimulque deſcribens, ea occaſione extra conventum quoque, quod multis non placet, plurimis non licet; vitam ut mihi videtur, præſertim ſeneſcentis, beatam, innoxiam, non præſentia bona faſtidientis, non pro futuro nimiùm anxii, ac metuentis; aliis interim utilis, minimùmque inutilis ſibi; neque pigram planè, aut penitùs otioſam;

.... & precor integra
Cum mente, nec turpem ſenectam
Degere, nec cithara carentem!

Hæc

Hæc etiam, Veterum inſtar, in hortis, ubi nunc ſtudeo ſcriboque; atque ita Natalem celebro, mihi ſolùm, non aliis, non amicis, non Principi eorundem optimoque, ipſi Comiti Magalotto cognitum; ſine ſtrepitu, ſine ſalutantium pro more turba, fictaque ut plurimùm Adeuntium Lætitia: ſic etiam, bono adjuvante Deo, futuri, ſeu plures, ſeu pauci, tranſeant hujuſmodi dies, ſub ſilentio, jucundi, ſecurique.

Hæc mecum eodem tempore repetenti, non pauca ad Belbari etiam Dominum propiùs ſpectare videbantur; cui aliquatenùs vel ulla demum in parte accedere, quamvis maximo ſanè intervallo, ſummo Decori, atque laudi, non tantùm in hac præſenti vita, ſed apud Poſteros quoque, atque in omne inſuper ævum fuerit. Vale. Florentiæ. xv. Kal. Sept. 1708.

PETRO HIERONYMO BARCELLINI.

L.

TUnc optime Barcelline, Henrici tui ſic tandem obliviſceris, ſilentiumque adeo contumax ultra menſem ſervas adhuc? Non ſic ego Bar-

Barcellini mei immemor, atque itineris ſecum modò initi abſolutique ad videndum unà fruendumque Tiburis Horatiani, & Villæ Hadriani deliciis. Me etiam multò magis, vel ipſæ Reliquiæ artium magnificentiæque Veterum, quam vel etiam præſtantiſſima, audactèr dicam, Recentium Opera delectant; quod meliùs ex ſubjecto Epigrammate, ut aliis teſtari, ita & tuo quoque permittere arbitrio liceat, qui ſoles & meas legere, & favere nugis. Ingenio meo planè, neque equidem primò diffiſus, Juſta reddere conatus ſum, in alio Carminis genere, præclariſſimo Vati Etruſco, cujus ergò, manes, mites placidoſque precor, inſolitos ſuoſque numeros temerè tentanti: Neque hìc tamen lugubres pro more effinxi planctus, lachrymaſque in turba cum cæteris effudi: Scis in Piorum Cœtibus, Martyrum memorias, Feſtis, ritibuſque lætis coli; ex recurrente quotannis grato tempore, (jamque etiam dies appropinquat ab Academia, Socio ſuo Filicaiæ deſtinatus) non mortem eorum, non funera defleri, ſed potiùs Triumphos celebrari; atque hinc ipſorum ex terris diſceſſum, minoribus equidem triſtem, ac admodùm lugendum, inter eorundem Trophęa numerari. Et quid quæſo ævo præſenti magis gratum, quid futuris etiam utilius, quam magnos, & excellentes viros, juſtis ſuiſque ornari laudibus,

& in Exempla poſteris præponi, qui ita majorum veſtigia preſsiùs legendo, vimque virtutum, ſeu moribus, ſeu ſcriptis, formando exprimendoque, ad idem factorum Laudumque culmen, & conſortium tandem aſſurgere, & pervenire queant.

Interim tua credo, æſtate præterita, conſuetudo cum nobiliſſimo Urſo, dum ejus contubernio, in ſua Nova Villa propè Bononiam, optimis utrinque ſtudiis intentus fruebaris, & fortè eo tempore ex literis de me orti Sermones effecere, uti Vir ille, Italiæ, noſtræque ætatis decus, libros à ſe pridem editos, jucundioris apprimè Doctrinæ, atque etiam valde reconditæ pleniſſimos; ſimulque Romanorum Superioribus optimiſque ſæculis ingeniorum, Italorumque veſtrorum, ſive olim viventium, ſive etiamnùm ſuperſtitum, vindices, mihi quoque dono dederit, in quibus, uſque ad calcem legendo, admirandoque totus ſum futurus. Nam & ego quoque, ratione genioque ducibus, planè eaſdem vobiſcum partes ſequor, faveoque plurimùm, & quantum ſcilicet ipſe poſſim, (ut à Sedentibus Spectatoribuſque in circo in amicos in ſtadio decurrentes decertanteſque, votis ſaltem plauſuque illos hortando juvandoque fieri ſolet) hujus Cœli Ingeniis, contra Tranſalpinam quamdam Gentem, cujus artes, atque ſermonem non magis cæteris prævalere, quam vel

ipſa

ipſa eorum arma Anglus optaverim. At quem hæc ſint habitura exitum omina adhuc incertum: interim nos, & ſcientias quoque literaſque Communes tutemur; ut vobis, non pares equidem, ità certè proximi, atque inde aliis omnibus, invideant alteri licet, Superiores.

At verò quæ legeris, ne excuſanda quidem ſunt, niſi plura condonaveris epiſtolæ, nimiùm fortè de carmine, ac argumento trahenti, ſolitoque ea ratione, ac juſtò elatiori; præſertim cum vobis de Ingenii præſtantia, voſque de antiqua dignitate, ac Literarum poſſeſſione deturbando, controverſia adeo iniqua moveatur. Vale. Florentiæ. Pr. id. Jul. 1708.

PETRO HIERONYMO
BARCELLINI. S.

LI.

TUum mihi modo munuſculum, uti ſcribis, optime Barcelline, Florentiam detulit, civis meus, & amicus, qui nunc Patriam verſus iter faciens, Italas ſecum Artes in Britanniam devehit; neque tam mole equidem, quam pretio operis, ac dignitate æſtimandum: In quo etiam

Arcadas, nunc quoque & meos, iterum lætus agnoſco, atque ibidem renovatos, poſt tot ſæcula, jam per ſeptennium ſuum, ſub Clemente demum, Capitolinos Agones, quibus & ipſe nuper (uti noſtri) inter alia Urbis Decora, interfui; atque Auditorum Saltem, quinimò & Admiratorum, unus in turba partem conſtitui : Vivas excepi voces, atque de laude ac præſtantia certantibus, in illa Muſarum certè Artiumque, ſin minus Imperii ſempiterna Arce ſedeque, ore ſanè manuque favi plauſique. Vidi Opera ſimul Operumque præmia, illa, ſuperiorum temporum veſtigia, perpetuò adoranda poſteris, ſequentia; hæc, anteactorum unà mercedem, & ad nova inſuper Incitamentum. Agnovi etiam Judices, Marattam, Fontanamque, nobiliſſimis olim Artibus, Tabulis, machiniſque ſtupendis conficiendis; mente manuque celebres; ſtudiorum ita Exempla pridem, atque illorum denique, quum ipſis, ſuas partes, ſummus ille Artium atque Reipublicæ Parem permiſerit, Arbitros atque Remuneratores: neque minùs trans Alpes, atque apud ultimos Septentriones, quam Domi, atque per Italiam, cognitos atque celebratos. Et nunc quoque à vobis longiùs remoto, grata recurrit memoria, ut eodem tempore, eodemque loci, ipſo videlicet in Capitolio, mihi primum, ibi incognito, (Romam

ete-

etenim viſurus, non videndus veni:) Hoſpiti, Extero, ac Britanno, meæque, mihi ſanè, infirmitatis conſcio, adeoque nec famæ, neque gradus muneriſque ſublimioris, avido, aut ſatis capaci, oblati fuerint Arcadiæ veſtræ Honores. Quod quidem paucis abhinc diebus, non tuis magis conſiliis, lenibuſque imperiis, quam ſponte mea, atque pro officio, brevi carmine teſtatus ſum: non equidem lingua adhuc, qua & ipſæ gratiæ loquuntur, Etruſca; at verò quæ non minùs veſtra eſt, veteris quippe Latii, atque Majorum; qua & olim Populis, Victor ille Populus juſſa dabat, cùm & ipſa Britannia Latias inter Provincias, neque puduit, recenſebatur; quæque etiamnum in Legibus Dominatur, Arteſque omnes ac Scientias, ambitu ſuo complexa, ad noſtram uſque notitiam derivavit, Noſque exinde eaſdem, per manus traditas, ad poſterorum uſus conſignamus; qua denique nunc fermè ſolùm pro dignitate tractantur ſacra, & quaſi undique ad Deum acceditur.

Vides etiam ut Patriæ quoque meæ, aliquid, parum licet, dederim, in laudibus Summi Ducis Marlburii, Germanici, Belgicique, meritiſque proferendis: indignum quippe ratus, nec ſæculi ipſius, neque noſtræ Gentis gloriæ conveniens, ſi quando de Imperatore Britanno, nunc ubique terrarum, fermo habeatur, non & in eo quoque

legatur, qui omnibus communis ſit ſermo, & quaſi totius Mundi Patrius. Vale. Floren. vii. Kal. Oct. 1708.

ILLUSTRISSIMO VIRO
GISBERTO
CUPERO. S.

LII.

Literas, unà cum ad me datis, ad Illuſtriſſimos Fontaninum Romanum, & Bianchium Florentinum, accepi reddidique, nobis quidem omnibus gratiſſimas acceptiſſimaſque, mihi vero præſertim, quem & tam multa in tuis doces, & de quo tam benignè tamque amicè ſentis. Sed Bianchius pro more hiſce Vindemiarum feriis in Villam ſe recepit, nec ante finitas, regreſſum in Urbem meditatur: interim Gemmæ Baſilidianæ, mihi ab ipſo, cùm tuas ea de re illi legendas dederim, dono datæ, formam ſulphure expreſſam, quod priùs equidem facere conſtitueram, hiſce demum inſerui.

Legi

Legi nuper Germonii librum, qui in utrisque noſtris occurebat, contra Fontanini vindicias, cui brevì multis ille reſpondebit, atque utinam exemplum ab altero datum, non & ipſe quoque ſequatur: quanto tamen ſatius foret, neque pro animi tranquillitate minùs, quam ad famam, ſi argumentis invicem, non conviciis inter Doctos decertaretur, atque miti ſapientia, quam nimio acumine, ac acerbitate ingenii inclareſcere vellent? Nunc verò & ipſi Lectores, neque otioſi ſedemus, at affectus quodammodò, inviti licet, ſcriptorum induimus, & à legendo, non tam doctrina, atque materia diſputationis Inſtructiores, quod ſolum fieri debuit, quam & animo, ac pænè vultu, Commotiores, diſſimileſque planè nobiſmetipſis, conſurgimus. Et quas quæſo aliquando ob cauſas, non cùm de Aris, & Focis, ut ajunt, ubi de ſumma rerum, non cum de Juribus Patriæ, atque communi ſalute agitur, non cum ſacra ab Impiis ſpreta, & conculcata, aſſeruntur atque vindicantur, ſed ob fabulas neſcio quas Philoſophicas, & quæ variæ variis ætatibus, pro ſæculi hominunque genio, naſcuntur cudunturque, Placentque ut novæ primùm, ut novæ quoque quibuſdam diſplicent, ſed omnes citiuſve tardiuſve, ſuorum inſtar Auctorum, Intereunt, prætereuntque; quin etiam, ſæpiuſque, pro Pudor! ob

Tri-

Tricas quoque Quiſquiliaſque Grammaticas Criticaſque, in rixas, mutuaque in opprobria, mulierum tantummodò Argumenta, divertimur decidimuſque: Obliti interim plerunque, non ſolùm quod civibus, inter quos ejuſmodi Controverſiæ non rarò oriuntur, quod Chriſtianis, quales in Occidente cuncti, ſed etiam quod bono Viro, quod bonis Moribus, in perpetuum conveniat. At multò faciliùs eſt Inſurgere in Vitia, quam reprimere, & excindere; quæ quidem ſemper malè audiunt, neque minùs tamen, ut olim Romæ, uti & alibi, Mathematici, qui tamen jam quoque ubique, retinentur, prævalentque.

Sed ſi placet, ad mitiora tandem deveniamus, niſi cum Larvis, id eſt Mortuis, quod neque animi Generoſi, neque civilis, luctandum ſit. Vir in omni parte Doctiſſimus, Joſephus Averanius, Benedicti Averanii Græcarum Literarum, ac Eloquentiæ modò Piſis, ſummo cum Juventutis Profectu, ſuique nominis Celebritate Profeſſoris, frater, & ipſe etiam ibidem pari cum Laude, atque aliorum utilitate, Juris Legumque Profeſſor, ac Interpres, ſummopere cupit, atque me quidem Judice prudenter admodùm, apud Batavos, Fratris, ſui Orationes, Prælectioneſque in Anthologiam, aliaque Opuſcula, ubi Res cum Sermone certant, utrum illæ Dignitate, an hic Facun-

cundia verè Romana præſtet, Typis in Publicum dari. Ad Vos etenim toto ſanè Orbe confugiunt Literæ, & Literatorum Opera, ut inde in manus hominum pulchriora veniant, atque ita ipſis gratior aditus terras in omnes pateat, fiantque in perpetuum cum nitore, cumque Elegantia, Bibliothecarum ſtudiorumque pars optima atque amœniſſima : Ac pridem ejuſdem Orationes Latinæ, Florentiæ editæ erant, & nuper eodem loci, quæ etiam Etruſco ſermone ab ipſo, coram Academia, non ut alibi, cæteraſque apud Gentes, Puerorum Juvenumque fermè ; ſed Hominum Dignitate, Ingenio, Literis, per cunctam Italiam, Operibuſque, per Orbem Illuſtrium, in ſummum recentiorum ſæculorum Vatem, Petrarcham, palàm recitabantur : Maximo quidem ſubinde Utraque, cum plauſu ab omnibus excepta ; ſed neſcio quo nunc fato, ſive quod Commercia penes Britannos (nos vero quaſi penitùs ab Orbe diviſi) Batavoſque, pro maxima parte ſint ; adeoque cum aliis mercibus Literæ quoque, ac Literarum monumenta in diſſitas Regiones perque cunctas Terrarum Oras advehantur diſperganturque ; ſive ex incuria Civium neglectuque, certè intra ſuas ferè Alpes, ac Maria detinentur quaſi, ac deliteſcunt ; neque in majorem nunc Romano, Remotioremque ab illo, Mundum, mittuntur, adpel-

lunt-

luntque; neque ubique, ut ſanè merentur illa, noſcuntur evolvunturque. Meque equidem fateor, Pietate in amicum jam mortuum, animique grati memoriſque planè ſemper beneficii in me quandoque collati ſenſu inductum, quo Ipſi paulò ante Obitum placuit, ultimum illud ſuorum Operum, mihi, Cæli alterius homini, inſcribere; velle etiam preces adjungere ſocias, ut hac arrepta occaſione, & ſuorum commodis, ſimulque Publicis, Amſtelodamenſes Veſtri velint conſulere.

Roma præterito vere excedentem, ibique etiam multùm renitentem Romani Arcades, uſque ad Florentiam comitèr proſecuti ſunt; ſuumque deinceps in numerum ordinemque, ex nimia certè Indulgentia, retulerunt: hinc ex recepto more, miſſum in Urbem Epigramma, quod nunc quoque Bataviam accedit, quæ & ipſa præterito ſæculo, ſuperiorique, quaſi Muſarum quoque Patria fuerat; cum ſecundi Baſiis Inſederint Amor Gratiæque; Mauritiique Principis Triumphos, ſequenti ævo, Carmine celebraverit Grotius, æquaveritque, atque in hunc pœne diem, idem civibus ſuis Decus, poſt Heinſium Utrumque, Barlæumque, ſervaverit Brochuſius. Intellexi etiam poſt reditum ex literis ad Eruditiſſimum Senatorem Philippum Bonarotam, quo vix alterum Rei Antiqua-

quariæ Nummariæque, Unum ſi exceperimus, Peritiorem inveniemus, amici ſui Maffæi Equitis, Gente Etruſci, Domicilio Romani, atque jam edito volumine, ex quinque quæ apparantur, ſecundo, Gemmarum Antiquarum, unà cum annotationibus multa variaque eruditione repletis, nomen ubique Inclytum adepti; in quibus ſumma cum voluptate aſpexeris, ſumma etiam cum Arte ac nitore, expreſſos ritus Veterum, tum Sacros, tum Civiles; atque icones effigieſque Deorum, Cæſarum, Conſulum, Virorumque, ſeu Geſtis, ſeu ſtudiis, Inſignum; ſibi in animo eſſe Villam Hadriani cum Architecto adire, ac deinde accuratiſſimè deſcriptam, quod tantoperè exoptas expetiſque, in lucem denuò extrahere atque emittere.

Ad finem autem æſtatis, decantatas ubique Vallis Umbroſæ ſolitudines inviſi; neque cum Loco Imago Placens mente, ac memoria exceſſit: Meruere Patres, Virque Primorum ſæculorum, Præſes, meruere Sylvæ ſacraque Muſarum, atque umbræ caloribus intactæ, non penitùs ab Hoſpite ſilentio præteriri: Cùmque à Te etiam ut meruit, æſtimatus laudatuſque fuerit, Fulmen illud Belli, uti Ipſe loqueris; Marlburius noſter, paucos quoque verſus in nuperum ad Odenardam Prælium Victoriamque Scriptos; cui Inſulas Flandrorum, Pacemque uti ſperamus; Sociis Totique Orbi utilem,

lem, Perpetuæque proximam, grati memoresque in omne ævum accepta feremus, in acceſſionem aliorum miſimus; cum Tibi ſoli imputare debeas, ſi prioribus nugis, quibus nimiùm faviſti, & novæ inſuper ultimæque acceſſerint.

Sed inter hos quaſi Litterati Otii, Paciſque Etruſcæ delicias, non ſilent Arma, Copiiſque noſtris levi admodùm militum damno, non ſupra ſeptem amiſſis; (ut ſane nullo antè, Urbs Calaris Sardiniæque Regnum recepta) Minorica quoque Inſula, cum Portu ampliſſimo Tutiſſimoque, arceque Santi Philippi munitiſſima ceſſit; quibus in Poteſtatem redactis, & objacenti Hiſpaniæ, Provinciiſque Carolo Regi Parentibus, melius proſpicitur, atque Gallia quaſi a ſe diviſa, conjunctio Navium, inde ab Oceano, hinc ab Interno mari prohibetur, aut multò certe difficilior redditur; & ſi Annona deficiat, brevis faciliſque hinc in Africam Trajectus; quodque nobis priùs defuit, ac maximo erit uſui, ſi Bellum ampliùs prorogetur, ſtatio claſſibus noſtris, dabitur, Hyeme, ſecura, vicinior multum Hoſtibus, & ad captandas occaſiones opportuna.

Atqui & Ipſa Italia, ſi à bello adhuc libera, non ita tamen in proximo ab impendentis eidem metu, cum nuper Florentia excedens, jam Romam advenerit, Armorum fortè Præfectus, ſub

Le-

Legati Titulo, Teſſæus Gallus, ſi tandem manu certandum, eiſdem materiem Ducemque Daturus : atque elapſum intra triduum, etiam Curſor Vienna, eodèm iter direxerit, cum mandatis à Cæſare, Bellum aut Pacem ſecum ferens; Ultimam quidem ego optarim, tum communium ſtudiorum, tum & ipſius Regionis cauſa, quæ cùm à natura facta ſit, adjuta etiam Incolarum induſtria, omnium pulcherrima feliciſſimaque, ſua ſi bona norit; non alias omnium etiam miſerrima reddatur; everſis unà quæ adhuc reſtant Antiquitatis Monumentis, & inde forſitan funditus perituris : ſicque cum Urbibus, Publica atque Privata Ornamenta, ac eximia Artis Decora, Militum, *non addo Germanorum*, inculti, fieri, barbarique, ut plurimùm, Generis Hominum, Præda fiant. Vale. Florentiæ. xvii. Kal. Nov. 1708.

ILLUSTRISSIMO VIRO

GISBERTO CUPERO. S.

LIII.

REcepi tandem ab Amico Nobili ex Britannia, huc uſque quidem valetudine impedito, illam annotationum Chriſtophori VVaſii in Gratii Cynegeticon partem, quæ de Formidine, ac Venatu Sicilienſi agit; quamque ab uno ex Domeſticis qualitèrqualitèr Gallicè converſam, hinc demum Tibi, in obſequii pignus, lubens mitto: Cui ſi ullatenùs ſatisfacere, aut placere poſſit, novum ſanè mihi beneficium, neque minimum, poſt mortem quoque, Optimus quondam, contulerit Præceptor; Atque utinam ei licuiſſet, quod ſæpiùs mente agitabat, ipſum Auctorem, denuò recognitum, in publicum dediſſe, ut textu atque Opere emendatiorem plenioremque, ita & ſuis etiam commentariis, uberioribus multò, ac communi doctorum ſermone elucubratis, illuſtratum: Neque enim ſolummodò criticè plurimum valebat, ſed politiori ac omnimoda literatura penitùs imbutus, inſignis quoque

erat

erat Poeta; cujus exemplo hic inductus, maximique insuper Scaligerorum Josephi, in Catullo, Comitibusque Poetis; inque Lucano, Magistri vestigiis feliciter insistentis, Grotii; [deque Grotio, à Cl. Clerico Vestro, meoque, observatum memini, hunc, neque rarò veros Veterum in Anthologia assecutum esse sensus, etiam cum à Magistris Codicibus suo tempore destituebatur planè] non illubenter certè crediderim, neque falsò forsitan, Optimos Vatum Interpretes, ipsos fore Vates; utpote quibus communis quasi Genius, Os Divinius, ac supra cæteros, Vires, Animique Vigor. Vale. Florentiæ. iij. Kal. Nov. 1708.

ANTONIO
MAGLIABECHIO. S.

LIV.

NOndum literas Cardinalis Turnonii, quas scribis, Taurini editas, vidi; non etenim ibidem mihi cum eruditis, sed cum nostro solùm Legato Britannico commercium intercedit, qui cum militiæ nomen dederit, interque Belli præfectos

ctos numeretur, ab ipso quæ ad Summam Reipublicæ (atqui illa ferme tota in armis, quanta temporum infelicitate, quali studiorum pernicie, consistit:) expectaveris fortè, non ita, quæ ad rem Literariam pertinent. Hæc enim Leibnizios tuos, hæc Magliabechios requirunt, quibus ad ornandas Artes, scientiasque promovendas, neque consilia desunt, neque Vires. Vale ex ædibus meis. Flor. iv. Non. Nov. 1708.

PETRO HIERONYMO BARCELLINI. S.

LV.

TU, optime Barcelline, Temporis officiique memor, ea in tuis præcipis, quæ & scire maximè omnium, magis verò ab omnibus præstari interfit, quum in hoc restituti Orbis, Generisque Humani vero Natali, suam Cœlites pacem annunciaverint optaverintque Terris; quæ nunc undique tumultuum plenæ Bellique, quod non tantùm Principes populosque plurimos tamdiu occupavit, agitatque etiamnum; sed uti ex disputationibus, atque inter se invicem fine fine concer-

certationibus nimium ſanè conſtat, neque nunc quoque pectora ſacris ſtudiiſque dicata, fugit. Hinc Patribus Laderchio Germonioque cum fratribus, aliiſque prælia, & quantum ab ipſis, ſuo equidem genere, internecina. Ita à doctis, qui ſibi quaſi ſoli ſapere videntur, & intra, atque extra Italiam, non minoribus ferè iris, atque animis, de imperio Literarum, quam de altero illo inter Gentes, cujus tamen exitu publica, ac communis Orbis Chriſtiani ſalus, à plurimis contineri videtur, diſceptatur contenditurque. Sed fortè initium Paci, iterum dabit, uti priùs Bello, Italia veſtra; attamen ſpero non ita brevem Gentibus, uti ipſi paulò antè contigerat. Dignus ſanè Pontifex, quem non ita Turba, ac Armorum ſtrepitus interpellent diſcrucientque, atque ſic otium ſtudiis alendis promovendiſque utile, ac pœne neceſſarium, ipſi diſcutiant, pacis ad artes nato, pacis artibus diu florenti. Præteriit enim tempus, quo Roma, ſeu nomine, ſeu reverà, Martia fuerit; ex eo illi, alia Inſtituta, alii mores. Atqui ego pacem, & Urbis, & Principis cauſa precor, ut ita dilata adhuc opera perficiat abſolvatque, atque adeo Antonini Pii, Eruditi, Pacifici columnam, ac monumentum, ſuo Principatu ex ruderibus erutum, atque mihi poſtremùm, inter miracula Romana viſum, ipſe eiſdem dotibus, atque

præ-

prærogativis inſtructus, atque inſignis, eadem felicitate Ingenii, Imperiique regnaturus, tandem inter Urbis ornamenta, otium nactus atque quietem, erigat ſtatuatque; & ſi quid etiam præclarius, ſuiſque temporibus, poſteriſque profuturum, animo meditetur, id ad finem optatum, non his ſaltem curis diſcerptus confectuſque, non ut inter Arma ſemper, Fortunæ caſibus in dies obnoxius, perducat. Velim etiam ſi fieri poſſit, ſed multò quidem illud difficilius, ut pacem quoque inter ſe atque concordiam, quos minimè omnium rixæ, ac controverſiæ commendant, atque diſtinguunt, vel Literarum cultores, quæ ſanè ab humanitate nomen ſuum gratiamque deducunt, bona fide colant. His certè tumultibus, ac certaminibus infinitis, multum moribus decedit, parumque aut nihil Scientiis acquiritur, quarum augmentis melius omnino fuerit, & pro aliorum, ac publicis uſibus commodiſque, proque ſui etiam fama, gloriaque nominis, tandem ad extremum conſulere. Summa interim votorum erit, ut Tibi, Vir Optime, leniter, ſuavitèrque ſtudia Literarum inter, ac pietatis officia, inque otio aliquando cum dignitate conſtituto, per plurima annorum ſpatia, inoffenſo pede, decurrat ætas. Quibus unum in cumulum, nobis utriſque gratiſſimum adjicere juvat, ut ſcilicet Illuſtriſſimus Fontaninus tuus,

cæ-

cæterique noſtri Romæ amici, & benè valeant, ſimulque fama ex operibus, totque editis Doctrinæ monumentis, orta, apud bonos omnes, ſuo ſæculo, diuturna; apud Poſteros autem, ſempiterna, fruantur. Vale. Florentiæ Pr. Nat. Dom. 1708.

ANTONIO
MAGLIABECHI. S.
HENRICUS DE NOVA VILLA.
LVI.

REddo literas, huc Tibi, Vir Illuſtriſſime, nuper ex Germania quidem miſſas, in quibus tot novæ res Litterariæ continentur; quæ certè nobis utriſque, Pacis ac ſtudiorum amantibus, multò quam Bellicæ illæ alteræ, quæ quaſi tamen nunc ubique, utramque paginam, magno verè ſæculi malo ac miſeria faciunt, ſint gratæ magis, magiſque Tempori ſanè Feſto convenientes: quod Tibi, & Tui, & communium ſtudiorum cauſa, atque in hunc, & in plurimos annos, lætum fauſtumque precor, ut cum Fama in futurum non poteris ipſe majore, hìc ſaltem quam maximè diuturna gaudeas. Vale. Ex ædibus meis. Florentiæ Pr. Nat. Dom. 1708.

Illuſtriſſimo, ac Doctiſſimo Viro,

DOMINO HENRICO NEVVTON,

APUD M. ETRURIÆ DUCEM

Potentiſſimæ Anglorum Reginæ Ablegato.

D. GUIDO GRANDUS. S.

LVII.

CLariſſimi Angliæ Mathematici Johannis VValliſii doctrinam, de hyperbolicis quibuſdam ſpatiis *pluſquam infinitis*, adverſus inanes ſcrupulos illi nuperrimè à Gallis oppoſitos vindicare aggreſſus ſum, ut non modò nominis Anglici decus, ſed veritatis ipſius vis expoſcebat; demonſtravi enim, nullam VValliſio hallucinationem impoſuiſſe, cùm ſpatia illa *pluſquam infinita* appellavit, ſed neceſſaria, evidentique conſecutione ita meritò cenſenda ab omnibus eſſe, quippe non modò infinita, ſed qualibet infinita dumtaxat quantitate infinities majora, quidquid in contrarium adduxerint Regiæ Pariſienſis Academiæ Mathematici in monumentis Academiæ illius anni 1706.; quæ

ſi

ſi maturiùs in manus meas incidiſſent, longè anteà VValliſianæ doctrinæ apologiam adornaſſem, cùm jamdudum rem ipſam ſatis perſpectam, & adamuſſim apud me demonſtratam haberem.

Porro ſi vindicias has, breviſſimas illas quidem, ſed reprimendæ Gallorum Geometrarum temeritati perneceſſarias, in publicum exire permiſero, eaſdem dumtaxat tui Clariſſimi Nominis umbra protectas exire patiar, congruum quippe judico, ut qui totius Anglicæ Nationis doctrinam, humanitatemque non minùs virtutibus tuis nobis repræſentas, quam Regni ipſius florentiſſimi, atque invictiſſimæ Regnantis majeſtatem, auctoritate officii tui nobis præſentem exhibes, etiam Auctoris Anglici, qui Gentem veſtram adeo illuſtravit, apologiam tuo ſinu primus amantiſſimè excipias, tuoque præſidio tuearis; Verum id injuſſu tuo ne attingere verear, propriæ puſillitatis, tuæque magnitudinis cognitio prohibet; itaque Operi huic opportunos ab Illuſtriſſima Dominatione tua nutus expectabo, cui interim, cum optimo recentis anni auſpicio, fauſtiſſima omnia precor, meæque ſemper obſervantiæ memorem cupio. Vale. Piſis Idib. Januarii 1708.

D. GUIDONI GRANDIO. S.

HENRICUS DE NOVA VILLA.

LVIII.

QUid me precor ordine Vulgi detrahis, & ponis non regione mea? Quanto meliùs ei, hoc ſane tempore, & hac præſertim occaſione, quam alteri cuicunque convenit, cujus nomen eadem jam pagina, cum VValliſio noſtrate cumque Grando, Victuris iſtis nominibus, tuo demum beneficio conjunctum, unà legetur vivetque. Sin autem Itali veſtri in hoc Gallico, ac eorundem penè cum Univerſis Bello, ſocia minùs Arma nobis adjunxerint; Tu tamen interim, quod multò majus, quodque nulla unquam tacebit ætas, Anglorum Ingeniis contra communes quaſi, atque in hac certè parte abſque controverſia inimicos, ſuppetias fers; & pietate inductus, VValliſianos tandem manes ulciſceris, ac Hoſtem tumulo ſubmoves. Ut nobis benè facias, priùs Tibi ex conſuetudine venit; hinc pridem conciliante optimo noſtro Comite Magalotto, jam credo ſentit Armachanus Marshius, cumque eo

To-

Tota Philoſophorum, ſociorum Tuorum, in hoc veræ, neque ſolùm nomine tenus, ſapientiæ ſtadio decurrens decertanſque Londini Cohors, quod lumen affuderis nuper, quas Vires addideris, illius de ſonis, deque Auditu, minimè vulgaris, aut uſus, aut Eruditionis, Diſſertationi! Haud ipſe equidem Matheſin veſtram laudando Par, imò ne quidem ſatis admirando, cujus ſumma utilitas, tum in maximis, tum in minimis quoque rebus, omni die, atque omni etiam momento cernitur, atque elucet; & ſine cujus auxilio, atque opibus, non tantùm non commodè, nedum pro dignitate Humani Generis, ſed ne vivere quidem datur? Mihi verò hìc planè deficienti, in partes aliqando veniet, Archipræſul Ille Doctiſſimus, atque noſtrorum mathematicorum Princeps, Nevvtonus Eques, Tibi etiam communium ſtudiorum litterarumque commercio conjunctiſſimus; cumque noſtris hominibus, cuncti quoque cunctorum ſæculorum, (conſentientibus eiſdem, atque Gallis poſthac,) adeoque ipſa Temporum Æternitas, magni ſcilicet veſtri inſtar Argumenti, non ullis circumſcripti, aut concluſi finibus; cujuſque modo Patrocinium tam juſtè, tamque feliciter in te ſuſceperis. Vale. Florentiæ. vii. Kal. Feb. 1709.

IL-

ILLUSTRISSIMO COMITI

LAURENTIO MAGALOTTI.

LIX.

LÆtum mihi nuper, Illuſtriſſime Comes, neque minùs tamen difficile negotium injunxeras, Munera Publica, Indolemque quodammodò deſcribendi, Illuſtriſſimi quoque Domini Someri, Magni equidem Viri, ſed & mihi ſimul Amiciſſimi, ut inde decerpta, inſeri poſſint, Arcadum Vitis, brevì in Urbe edendis; atque inde metus admodùm juſtus inceſſerit, ne aut mihimetipſi viderer, ſub Opere deficere; aut aliis fortè, res ſupra veritatem augere, atque extollere. Quantum autem ad rerum veritatem ſpectat, quæ ſanè primas ubique tenere debet; ſaltem à parte tua, Nobiliſſime Laurenti, atque ea quoque ratione, vel à Sapientibus, vel ab ipſo Populo, parùm impræſentiarum timendum habeo; quum & ipſe priùs, de eodem his noſtris minimè diſſimilia, imò magis magnifica, Senatori Graviſſimo, Vatumque nuper Principi, Vincentio Filicaiæ ſuggeſſeras, in Argumentum Carminis, (quam verò

verò illud varium, quam ſublime, quam juſtum, atque omnibus denique numeris perfectum, atque abſolutum!) pari ab ipſo, fide atque eloquentia compoſiti.

Et certè Joannes Dominus Sommers, Baro de Evesham in Anglia, is erat, cujus fidei, plures per annos, ultra ſeptennium ſcilicet, ancipiti admodùm difficilique tempore, Gulielmo Auriaco tunc Rerum in Britannia potiente, ipſa quaſi Reſpublica, ſub Cancellarii nomine credebatur; & quo non alius etiam deinceps, eodem ſemper tramite inſiſtens, communiſque Patriæ commodis intentus unicè invigilanſque, facundia magis gratiaque apud Regni Ordines in magno Gentis Concilio, valebat pollebatque. Nuper verò etiam ſecretioribus ſuis conſiliis, à maxima, neque minùs omnium à retroactis Sæculis Reginarum, Anna, feliciſſima potentiſſimaque, admotus præpoſituſque; tum domi, tum foris, recti negotiorum agendorum Ordinis, atque adminiſtrationis Reipublicæ, prudentis, ſtabilis, adeoque in longum duraturæ, qualis demum olim apud Majores, Eliſabetha Imperante fuerat; non equidem ſpem ſolummodò, ſed certam quoque fiduciam præbet. Neque id tam mirandum, quum pridem, atque initio, Literis tum communibus, tum reconditis, rerum multarum Uſum, bonis ſemper

Ar-

Artibus, jam quoque plurimum experientiæ adjecerit, ex utraque fortuna, pari cum æquitatis conſtantiæque laude exercita, inter tempora primùm ambigua; inde periculo plena, mox autem lætiora, deinceps adverſa multùm, ad poſtremum verò plus ſanè compoſita, & feliciora, attamen non rarò quoque, pro partium hinc inde ſtudiis, paululùm fluctuantia, acquiſitum atque comparatum: neque minùs reticendum, ut acerrimo quoque Ingenio, (quod vix Unius inter veteres decus erat) mitis etiam ſapientia acceſſerit. Quin id Reipublicæ, quin id & ſibi benè vertat; ut ſic tandem Noſtra Britannia, ſua Bona norit; ſicque ipſi quoque, aliquo ſaltem modo, conveniat, Summi Vatis, illud, ad Optimum Principem ſcribentis,

Præſenti Tibi maturos largimur Honores.

Vale ex ædibus meis Kal. Mar. 1709.

JO.

JOHANNI
CLERICO. S.

AMSTELEDAMUM.

LX.

EX tuis præterito menſe Amſteledami exaratis, Ampliſſime Clerice, lubens lætuſque video, te & mei adhuc non immemorem eſſe, meque etiam nolle, Italoſque noſtros neſcire, quæ & ipſe, quæque alii trans Alpes, Laudatiſſimi Viri, quotidie erga publicum, atque in commune litterarum commodum facitis. Quod verò etiam editionem Prælectionum Academicarum Cl. Benedicti Averanii procuraveris, haud dixerim, utrum in eo, amicis communibus, Magliabechio, Salvino, cæteriſque, an Scholæ Piſanæ, an ſtudiis quoque ipſis, de quibus Vir ille optimus ſimulque eruditiſſimus, neque rerum ſcientia, quam facundia clarior, non parùm meritus eſt, majorem gratiam retuleris. Et certè is erat, in quo nihil aliud ſui culpandum habuerint, præter nimiam, noxiamque non rarò publico, atque ſtudiis modeſtiam. Fidem dictis conciliabunt, quæ hic unà legas, neque nunc primùm in Amici gratiam

compoſita. Sed quod demum amplius atque illuſtrius, quam tuum de ipſo, Vir Præſtantiſſime, & tot monumentis ingenii in Orbem datis, & undequaque ſparſis, Artis criticæ magiſter, teſtimonium Judiciumque dari poſſit, quo conjunxiſſe dicitur cum ſtyli elegantia rerum quoque Delectum? Ea Ariſtotelis, ea Ciceronis, ea Grotii, Bignoniani, & innocentis admodùm Triumuiratus; neque adeo multorum, aut omni ſæculo, Laus. Solum itaque nunc ſupereſt, ut opus ipſum quam emendatiſſimum, quale ab illo proceſſerat, in manus hominum, atque ad Poſteros deveniat; neque Typographorum errores, ipſis etiam Auctoribus, præſertim jam fato functis, ſumma quamvis injuria imputentur, aut lectoribus moleſtiam tædiumque afferant. Reſponſum quale mitto quæſitis ex parte D. Deuaulx Liburno nuper ab Amico Anglo accepi, ſed neque adhuc plenum, utpote in negotio, & ex natura rei, atque à diuturnitate temporis, ambiguo ſatis, & perplexo. Et ab litibus ſanè ipſe, ut à Bello abſtinendum puto, niſi provocet neceſſitas: Dubius etenim illis, non minùs quam huic; nec ſemper qualis ſperatur, aut quandocunque velis, exitus datur. Damna interim utrinque certa, & ſi non, ſanguinis, at ſanè nummorum, quod multis vice ſanguinis, aliquibus verò præ ipſa vita æſtimatur, effuſio. Vale. Flor. Apr. ult. 1709. JO-

JOHANNI JACOBO SCHEUCHZERO. S.

LXI.

TUO certè lætus ex munere, Ampliſſime jucundiſſimeque Scheuchzere, at toto demum perlecto volumine, admodùm lætior; quum & doctum inſuper & Lepidiſſimum, (quæ non ſemper unà conveniunt) mecum omnes libentèr agnoſcent. Quam nova, quam mirabilia, in ſcenam introducis! Qui mutis quoque Piſcibus, Vocem ſermonemque das, & quaſi loqui parùm fuiſſet, philoſophantur quoque. Queruntur, in Foro poſtulant, vincunt; deque incredulis, deque Philoſophorum ſectis Placitiſque, ipſorum Magiſtrorum ſententiis, quam bellè Ludos faciunt, quamque veros non minùs, neque id ſemel, Triumphos agunt? At quid mirum, ſi mirabilia edant Piſces, in montium jugis, & intra ima Telluris viſcera reperti? Si denique Alpes nunc demum eis Vice Oceani Fluviorumque ſint; pro fluctibus, & undis Terræ ſtrata, & metallorum ſedes: quodque longè cætera excedit, par novo, atque inaudito hactenus Argumento, ſcriptor?

Marmore Homines, & coloribus rerum figuras expreſſimus; Manuumque noſtrarum monumenta per quamplurima ſæcula durarunt: ſed quantum Artem, natura ſuperat! Quid enim quæſo ad Lucium Tuum, primi atque Ante Diluviani Orbis Incolam, vel ipſæ Pyramidum moles? Et non jam ille ſolummodò in menſa, atque Ferculis placet, confabulatur etiam nobiſcum ſimul cum ſociis; quique adeo, non tam inter Dapes ampliùs, quam inter convivas recenſendi annumerandique; ſolumque diſplicet, quod tantus Orator, tam citò deſinat. Vale. Flor. Maji vii. 1709.

PETRO HIERONYMO BARCELLINI. S.

LXII.

MUltò equidem Ipſe ſatius duxi, Tuis, Præſtantiſſime Barcelline, Factis, atque re ipſa, quam verbis reſpondere: præſertim cùm ultimum id in ſe ſuſceperit, qui mihi illas detulerat, Doctrina, Moribus, & in utrumque officiis, utrique noſtrum meritò acceptiſſimus, R. D. Theodorus Carli. Et ille heri quoque me pro ſolita ſua beni-

nignitate domi conveniens compellanſque, certiorem reddidit de optima, Optimi Barcellini, valetudine; quam ineunte priùs anno, quam nunc ferè medio, quam omni denique tempore, Tibi ex animo conſtare optaverim. Gratulorque inſuper Tibi atque Urbi, jam partam Vobis Pacem, utinamque firmam illam, neque in ulla parte vacillantem. Et fortè non longè quoque aberit illa, tamdiu exulans, ab Orbe Chriſtiano, victoribuſque non minùs quam victis utilis, certè omnium votis expetita, ac forſitan duratura etiam, ſi non nimiùm properetur. Vobis ſanè conveniebat, Pacta citò concipi, citò impleri. Alter quaſi enim ferè ad Portas Hannibal. Agitato verò tamdiu Orbe noſtro, Tempore planè opus eſt, atque mora quadam, ut ſubſidant iræ, & concilientur animi, bonaque fide inimicæ dudum coaleſcant Gentes: neque tantum ut impræſentiarum quies reſtituatur, ſed & cauſæ etiam turbandi, atque iterum concutiendi totam Rempublicam: recidantur, & in quantum humana prudentia fieri poſſit, in perpetuum, aut ſaltem in ſæculum tollantur. Inde cætera inter bona ſecuritas etiam ſtudiis redibit Honoſque. Non enim magis ultima Hyems Terræ Fructibus, quam Arma ſemper Ingeniis obſunt nocentque. Parumque abfuit, quin illa utriſque penitus exitia fuerint. Jam autem

mi-

mitiorum temporum ſpes ubique affulget. At mihi nuper ex Helvetia miſſus ab Auctore Libellus, cui Titulus, Piſcium Querelæ, & Vindiciæ; nova ſanè atque læta, uti vides operi materia, qualeque minimè ex Alpibus certè quis expectaverit. Jam dies feſti appropinquant, quum animum ſacris peractis, paululum relaxare, atque jucundioribus etiam oblectare, adeoque & noſtris quoque luſibus indulgere parumper, & vacare liceat. Ac mihi incivile equidem videbatur non paria quaſi appellanti retuliſſe, atque provocanti, nec bono viro adeo conveniens, boniſque itidem Artibus faventi, officio non minùs quam ingenio ceſſiſſe. Vale. Florentiæ Pr. Id. Maji 1709.

PETRO HIERONYMO
BARCELLINI. S.

LXIII.

CAve, Vir optime, ne noſtros ex Helvetia piſces, inter Plinianos iſtos, in Aere quaſi Volantes, aut in Alpium fortè ſummitatibus, ut tibi videtur, Natantes, recenſeas: Hi etenim Scheuzeriani, ejuſdem primò cum illis, ſed multò al-

altioris originis : Quippe qui inter metalla, marmora inter pretioſiora reperiuntur, omnes ad minimum Noachidæ fuerint, & Veteris Mundi Reliquiæ. Charta autem hæc, unà cum eorum concione, pulchra quidem illa, erudita, atque admirabili, (ideoque non mutos in poſterum, non Idiotas, cum plebe Philoſophorum, cumque indocto vulgo, vocaveris.) Hiſtoriam quoque Gentis Arcanam exhibebit, & quæ cuique Patria olim, ac jam quoque ſedes contigerit. Perlectam demum, neque has quoque delicias, credo, non parcus, non invidus, Amicis negabis, cùm volueris, Florentiam remitte.

Quantum verò ad Pacem inter Gentes conſtituendam ſpectat, utque ita à Bello tam diuturno atque gravi, tota quaſi Europa hinc inde decertans, emergat tandem ac liberetur, liceat regerere, quod initio de Romana-Germanica nuper ipſe dixeras, Pax eſt, & non eſt Pax. Daphnes ſic quidem iterum renovatur fabula, & penè capta ex manibus elabitur præda. Vale. Florentiæ. Kal. Jun. 1709.

JOHANNI CLERICO. S.

LXIV.

REctè admodum ſentis, Vir ampliſſime, nihil mihi unquam gratius accidere poſſe, quam occaſionem nanciſci, atque utinam ſæpiùs, quum non aliud in publicum conferre queam, exprimendæ ſaltem optimæ erga literas, atque Litteratos voluntatis, & inſuper cultus mei, ipſum præſertim erga Clericum, ſummi perpetuique. Inde igitur læto equidem vultu animoque acceptis relectiſque literis, à Te modò Amſteledami datis; Magnum Etruriæ Ducem, Amici cujuſdam, interioris admiſſionis, interventu, certiorem reddidi, quid Batavi Eruditi, quid ipſa Juriſprudentia, quid Univerſa demum Reſpublica Litteraria, non minùs in ſui atque Medicei nominis Gloriam, quam & in publica etiam commoda ab ipſo poſtulaverint, atque ut ita dixerim, à ſolita optimi Principis benignitate quodammodò expectaverint quoque, ex nova & accuratiùs repetita collatione Pandectarum, cum illo longè omnium nobiliſſimo, ſi non & Autographo etiam, à Juſtiniano

Im-

Imperatore pridem, ſeu in illam Italiæ partem, quæ magna antiquitùs Græcia dicebatur, ſeu in proximum Italiæ Illyricum, tranſmiſſo, Mediceo Codice. Atque eodem certè animo à Sereniſſimo Coſmo exceptum, quo majores ſui olim, quo & ipſe jamdudum, eorundem ſemper premens veſtigia, cuncta præſtare ſolet, quæ ad ſtudia promovenda, ad utilitates publicas ſpectent: unde ſatis abundèque Orbi conſtabit Bibliothecam Mediceam, non tam Principum, atque Florentiæ, propriam, quam toti Europæ, atque Doctis denique omnibus omniumque Gentium fore communem. Iter ergo ingrediatur, Florentiamque accedat, cum illi vobiſque commodum videbitur, ſeque Operi demum accingat maximo præſtantiſſimoque, inque ultima ſæcula ſub Coſmi Tertii auſpiciis ituro, Brenemannus Veſtras; ſecurus in hac parte Indulgentiæ Gratiæque Principis, ſicque prodeant tandem, cedantque deinceps in uſus Juriſconſultorum, veræque ſapientiæ, cum Ulpiano, Profeſſorum, novo Ordine, ſuoque demum, Papiniani, Paulique, cæterique Veteres, Legum, Artiumque verè Romanarum, Magiſtri, non uti priùs, quaſi ſolummodo Torti, & indignè, parum docto, ac barbaro pœnè ſæculo habiti; diſcerpti quippe, ac malè multati, à Græculis illis, aut Imperitis, aut Malevolis, atque ad ferendas per-

petuandaſque Lites, & ad Lucra ex Incertis Ambiguiſque captanda, quam formandæ Juriſprudentiæ Univerſali, adeoque Humani Generis, omniumque quaſi Populorum uſibus accommodatæ, (conſentientibus etiam Bonis, atque Eruditis quamplurimis) multò equidem aptioribus. Hi ſanè novi Byzantini Quirites, non minùs à Prudentia, quam ab Eloquentia Veterum, deſciviſſe ac degeneraſſe videntur. Quam verò juvabit, poſt tanta ſæculorum intervalla, lacera dudum membra, corpori iterum, priſtina unà cum Anima ſpirituque, reddita contueri, Menteque, molem indui? atque ita exinde in integrum, quantum per tot vulnera, atque Ævi injurias fieri poſſit, quaſi reſtituto, ordinem, compagem, Lumen denique redire ſuum? Sicque quadantenùs, non tantùm juriſprudentiam, qualis pro dignitate eſſe debuerat; ſed & Juris quoque ſimul Hiſtoriam ex Factis, & Controverſiis qualibet Ætate Ortis, & juxta ſeriem temporis diſpoſitis (uti ipſe optime obſervas) longè quam antea pleniorem, perfectioremque, qualis reverà fuerat, nunc demum poſtliminio, ut forenſi more loquar, per vos Batavos, Florente olim Imperio Romanorum Socios, jamque ſtudiorum eorundem Adiutores, ad extremum adiſpici. Id hactenus inter immenſos aliorum labores, Juri perficiendo defuit, atqui poſtremò in

De-

decus atque laudem, Initi modò ſæculi noſtrorumque temporum, ſervatum, ceſſururumque.

Interim mihi credo brevi, at ſpero tamen, non ante Hyemem exactam, aut Pacem Orbi Chriſtiano, ſi votis ſit locus, reſtitutam redditamque, relinquenda multum meritò dilecta Florentia, atque Italiæ Amœnitates, ad exercendum in Patria Munus, mihi nuper à Domina mea Clementiſſima collatum; ut ita per Gallias iter ſuſcipiam, ſi quietem ſenex Ludovicus, quam Bellum amplius trahere malit; at ſi, ut ita dicam, Fatis urgentibus, tantos poſt motus, & Tumultus undique, Europam nondum componi, neque in futurum quieſcere ſecurè dabitur; grande certè pretium itineris, deflectendo iterum per Germanias, & ſalutato Clerico, cæteriſque apud Batavos Doctiſſimis Amiciſſimiſque Viris, laturus. Vale. Florentiæ iij. Non. Sept. 1709.

PETRO HIERONYMO BARCELLINI. S.

LXV.

JUvenis ille Burnetus, quem meritò laudas, optime Barcelline, ut bonis Artibus, ita bonis etiam Moribus inſtructiſſimus eſt: Inde ergo ægrè quidem me pridem habuit illum febri in Urbe laboraſſe; Tu vero tandem recreabis, reficieſque jam lecto levatum, ac viribus reſtitutum, tua conſuetudine ſermonibuſque. Tu novæ cultum, Tu veteris illi ruinas Urbis Dominæ monſtrabis: doctas inter delicias, inter antiquitates Romæ verſanti, non priſtini doloris, non meminiſſe ægritudinis vacabit. Securus interim ab erroribus, quibus obnoxii ferè ſemper peregrè euntes, quod & nuper Ficoronus noſter magno exemplo docuit, dum Te Duce luſtrabit vaneſcentia diu veſtigia æternæ, quæ dicebatur Urbis, reliquiaſque magnitudinis, atque Artium, Imperantis olim Populi id expertus loquor, ſummæ Eruditionis, atque ſummæ unà Comitatis Barcellini, cùm in Urbe præterito modò anno, maxima cum animi voluptate, neque minori ſtudiorum fructu verſa-

ſarer, & alibi quoque, atque per plures annos, ſanè in perpetuum memor futurus, ſeu me diutiùs Florentia, deliciæ meæ teneant; ſeu Patriæ tandem, & Patriæ quoque hinc diſcedens, invitus reddar. Dumque hìc apud nos ſuaviſſimus adoleſcens manebat, eruditiſſimis certè Viris, ſcis ipſe, quot quantique in hoc Domicilio Muſarum Etruſcarum in omni Literarum genere floreant, acceptiſſimus erat: Neque Gratiæ quicquam præſto, licet Ipſi ſequentis elegantiſſimi Epigrammatis debitor fuerim.

Alter Neutonus docuit quid corpora poſſint,
Aſt animi Vires qui docet, alter adeſt.

Illum comitatur etiam, ſcriptis Clariſſimus, Maſſonius, cui Roma multum olim debuit, pro ſuo Horatio, Ovidio, Plinioque, quos nova vita, atque luce donavit; nunc & ipſe multum quoque Romæ debiturus, quod ibi Barcellinum viderit noveritque, ſuum meumque. Vale. Florentiæ iij. Non. Sept. 1709.

ALPHESIBOEO CARIO

ARCADIÆ CUSTODI,

ARGESTES MELICHIUS ARCAS,

Apollinem, atque Muſas omnes faventes, atque propitias precatur.

LXVI.

CArmen nuper, ab Argeſte veſtro Melichio, ad Arni ripas compoſitum, quo nullum latiùs Flumen feliciùſque irrigat fœcundatque Arcadiæ ſolum, adeoque non ſanè vobis, aut alienum penitùs, aut prorſus indignum, præſertim quum & de præſtantiſſimis, qui magno certè numero, & ampliſſimis latifundiis ea regione habitant, Paſtoribus, deque antiqua etiam Evandri Urbe, capite adhuc ac ſede populorum primaria; quamque nunc iterum, ſub Alnano Melleo ſummo Paſtorum Principe, feliciore fato Arcades obtinent occupantque, etiam agat, in officii ſimul ac gratitudinis teſtimonium, atque pignus perpetuum, Alpheſibœo Cario, cui proxime poſt Principem ipſa Reſpublica, Gentis ſecreta, Acta, & Hiſtoria optimè creduntur, & ſumma fide ac felicitate adminiſtrantur, munus equidem exiguum mitto, quodque multò magis, meritòque diſplicet doletque.

Nec

Nec Muſis, nec Apolline dignum; planèque impar Vobis, qui Muſis ac Vatibus pro Imperio, & dignitate cunctis quin etiam volentibus præſidetis. Id equidem dedi ſummo affectui, ſummo quin itidem dolori: inde ergo tantummodò æſtimandum erit; inde verum, ſi quod illi competat, unicumque pretium; cùm ea propter, in eodem, nec eloquentia, neque Ars, ullas ſibi partes vindicare potuerit: Scitis id olim quoque Ovidio veſtro, ab Italia etiam Exulanti, accidiſſe, neque tamen minùs triſtia ſua, pietatis ſaltem in Patriam, ſi non ingenii nomine; & ſuæ ætatis hominibus, & ſequentium, placuiſſe. Vale ex florentiſſima totius Arcadiæ Colonia, Veteres prope Feſulas, quarto, poſt relatos ex Sylva Parrhaſia Codicillos.

CLARISSIMO, DOCTISSIMOQUE VIRO

HENRICO NEVVTON

Sereniſſimæ Reginæ Magnæ Britanniæ
in Etruria Ablegato

ANTONIUS MARIA SALVINUS.

LXVII.

PLacent, imò perplacent verſus Eligiaci tui, quos prope Arni ripas entheo quodam calore fudiſti. Pleni leporum, gratiarum, amœnitatum. Animi tui pulchritudinem, magnitudinemque graphicè exprimunt, ac repræſentant; qui tam humaniter erga nos noſtraque affectus es, ut ſummis laudibus in Cœlum vehas, & ſtylo tuo immortalitate digniſſimo, ea conſecres ad memoriam ſeculorum ſempiternam. Habet certe quo honeſtè ſuperbiat Florentia, pulchriorque ſibi, ac præclarior videatur tantum Virum nacta laudatorem. Ego vero, qui minimus, atque humillimus inter cultores tui nominis ſum; egregia commendatione verſuum tuorum, quibus ne mirifice augere, atque ornare voluiſti, videor mihi eſſe pulcherrimus ac beatiſſimus; Fortis Eloquio, qualem

me

me prædicas, eſſe vellem, ut præclara ingenii tui, animique decora, qualia revera ſunt, ſub oculis ponerem, & non interituris ſcriptis poſteritati commendarem. Interim, quod impræſentiarum poſſum, gratias humanitati tuæ, maximas atque immortales habeo, atque ago pro prolixa tua erga me voluntate, ac benevolentia, qua me proſequi amas; Nihil enim in me aliud, quod hæc tua beneficia promereatur, ac provocet video, quam quod Tui Tuorumque ſimilium, Muſarum ſcilicet ſacerdotum, cultorem atque amatorem me maximum eſſe profiteor. Vale ex ædibus noſtris. v. Id. Oct. 1709.

PETRO HIERONYMO BARCELLINI. S.

LXVIII.

NObili Anglo, imò nobiliſſimo, D. Carolo Beaufortio, hinc nimiùm properè, ſi nos ſolos ſpectemus, atque ex ſuaviſſima conſuetudine, commoda ac voluptatem, diſcedenti; Romamque verſus, quæ ut Flumina Oceanus, cunctos ad ſe undique trahit, excipitque volentes, cras ituro; carmen rudius adhuc, imperfectum

ſanè & impolitum, ſed quale mæſto, atque ploranti conveniat, brevique fortè Italiæ atque unà Muſis valedicturo, munus Barcellino meo, exiguum certè, ſoloque in Vos cultu conſpicuum; ac quaſi donationem Mortis cauſa inter Vivos, ſeu Legatum potiùs, paulo ante legitimum tempus repræſentatum, ut ſolito denuo, atque forenſi more loquar, in manus tradidi conſignavique. In cujus quoque complementum, utque eo nomine magis gratum acceptumque ſit, addidi alterum poſthumumque Volumen Orationum, ſummi nuper Viri, ſummique Amici, Benedicti Averanii; quæ forte Judicio, Copia, Majeſtate, proximè ad Tullianas veſtras accedunt; in quantum Academia, Fori vices ſubire poſſit; & in umbra ſcriptæ, atque pulvere ſcholaſtico, æmulari valeant illas, in Senatu Orbis Domino, & coram Quiritibus Populoque, eo tempore, ipſius quoque Senatus Domino, habitas. Sed diù eſt, ex quo deſiit veteris eloquentiæ regnum, quum omnia, una potuit; nunc verò ſatis eſt, noſtri ævi diſertis placuiſſe, quos hodie non tam frequentes reperias, extra Doctorum Cœtus, atque Academiarum ſpatia; excluſa ſanè jampridem Foro, Aula, & fermè Publico quoque, latina Facundia; atque ita ſæpiùs in manus adoleſcentium, quod benè rei Literariæ ſaltem vertat, &

for-

fortè nonnunquam etiam eorum, quorum ideo non magna eſt copia, quibus hæc innocentia magis, placida, mitiaque arrident ſtudia, cum innoxia voluptate venire. Certè carmine vincimus, &, licet judex fuerit ipſe, inque eo genere de ſe quoque benè ſentiens, Etruſco multùm cedet Romanus, ſimul cum eis etiam, quod non immeritò, in non minima parte ipſius felicitatis pono, neque tibi minùs, ſeu Pietatis, ſeu Eloquentiæ ratione placebit, leges concionem, hodiernæ ac Etruſcæ facundiæ ſpecimen exemplumque, in illa Academia nobiliſſima, publico decreto, ab Antonio Maria Salvino, ſumma utriuſque laudati viri, laudantiſque cum admiratione, cœtuſque frequentiſſimi illuſtriſſimique plauſu, habitam exceptamque. Interfui & ipſe, inter dolorem gaudiumque medius, illinc ob Amicum, acerba adeo atque præmatura morte interceptum, hinc autem victurum eidem Nomen perpetuumque, ex juſta, pia, ac erudita laudatione expectans, auguranſque; quam nunc quoque ex cunctorum voto in publicum datam, quaſi novam, recentem, neque priùs auditam cognitamque, iterum lego, relegoque; & ſpondeo quoque idem & Tibi, atque aliis eventurum, quum quod optimum reverà ſit, non poſſit non ſemprer, atque omnibus placere. Vale. Florentiæ. xiij. Kal. Nov. 1709.

GISBERTO CUPERO. S. D.

LXIX.

LItteras, Illuſtriſſime Cupere, tuas Daventriæ 20. Auguſti datas, ab ipſa demum Roma, medio ferè Octobri, hic Florentiæ communibus ſanè amicis, mihique omnimodò gratiſſimas, accepi. Quantum autem ad Oroſium ſpectat, non poterit non plurimum placere doctis in hac Urbe viris nova editio, non ſolum quod locupletior multo perfectiorque futura ſit ex ſuo Laurentiano codice; quamquod etiam in ſe, curam ejuſdem Cl. ſuſceperit Clericus, a quo non niſi optima expectamus omnes. Sed de Ormeſta nihil in manuſcripto legitur, aut ab aliis hic ſcitur, quos inter eruditiſſimum Salvinum conſului; at cunctos latere videntur incognitæ, ac barbaræ vocis Origo, & ſenſus: niſi fortè pridem, juxta Cl. Salvinum; ſcriptum fuerit, Oroſii Magna Hiſtoria; ſed ſicut ipſe dicit, ariolari eſt.

VVaſius ille meus, Terentii Comœdias, à ſe cum plurimis manuſcriptis fidelitèr collatas, ſuiſque notis, commentariiſque plenioribus auctas, ede-

edere parabat, ſed neſcio quo caſu, totum intercidit opus, ne veſtigiis quidem, inter chartas, tanti laboris relictis. Dignus ſanè is erat, qui pro amore ſuo, cultuque in litteras humaniores, æquiore felicioreque ſorte, ac fortuna uteretur; ſed neque tamen inter infimæ notæ munera, illud quod Oxonii ſuſtinuit, refertur; cum qui eo gaudeat, unà Academiæ celeberrimæ Architypographus audiat, atque paulo ante ipſum, Samuel Clericus, Vir orientalibus litteris, atque amœnioribus quoque inſtructiſſimus, prout Biblia Polyglotta, & alia ejus Opera teſtantur, ſumma cum fama ac laude, eodem munere fungebatur.

Hic equidem pauca in litteris aguntur; deſunt Mæcenates quippe plerunque, & Patroni, quique veſtris in partibus, quaſi vice Patronorum ſunt, ipſi quoque Bibliopolæ, quorum impenſis curaque Eruditorum Opera in ſæculi lucem, & in manus hominum veniant. Argumento eſſe poſſunt Benedicti Averanii Prælectiones Piſanæ, quæ Amſteledami jamdiu Obſtetricem manum expectavere. Infelix interim Italia quæ ſibi, ſuiſque commodis, ac laudibus ita non raro deficit! Vos Batavi olim auxilia miſiſtis veteri Imperio, nunc Italorum etiam ſtudiis: ita ſocii de illis benèmeriti in omni tempore, ſive Armis, ſive Artibus inſiſtendum fuerit. Sed ſuis litteris frater de-

defuncti, quæ ſint ipſius, quæ publicà quoque vota, meliùs explicabit. Interim illas in anteceſſum miſi, quum unà mihi alterius orationes poſthumæ deferebantur, quæ mari quandocumque opportunum videbitur, ad vos deferentur, eloquentiæ hodiernæ, at Veteris optimæque inſtar, non ignobile monumentum. Vale. Florentiæ. xiv. Kal. Dec. 1709.

Ex-

EXCELLENTISS., ATQUE ILLUSTRISS. DOMINO,

HENRICO NEVVTON,

Sereniſſimæ Britanniarum Reginæ ad Celſiſſimum Etruriæ Principem Legato. S.

EXCELLENTISS., ATQUE ILLUSTRISS. DOMINE.

LXX.

QUI inter ardua Reipublicæ negotia bonis unà literis inſervire ſatagis; hiſce S. Ignatii reliquiis vacare ne recuſes, quæ tua potiſſimum ope in publicum jam prodeunt. Pro Tuis, Vir Illuſtriſſime, in rem litterariam beneficiis gratias per me agit Bibliotheca Bodleiana, quæ inter pretioſa veterum Scriptorum monumenta Manuſcriptum à Te donatum gratiſſimè conſervat. Si quid Illa habeat Tuis ſtudiis quoquo modo profuturum, Id Tibi perlubenter offert, minimè dubitans, quin novam indies daturus ſis gratitudini materiam.

Excellentiæ Veſtræ

Æd. Chr. Oxon. Cal.
Jan. A. D. $170\frac{8}{9}$.

Cultor Humillimus
Carolus Aldrich.

AM-

AMPLISSIMO DOCTISSIMO VIRO

CAROLO ALDRICH.

HENRICUS NEVVTON. S. P. D.

LXXI.

MUltùm equidem Oxonienſi Academiæ debeo, ſi qua mei, Alumni olim ſui, adhuc inter ipſos, memoria maneat ſuperſtes; neque Tibi quoque parùm, Vir præſtantiſſime, qui eandem, Epiſtolarum editione denuo renovaveris; Literiſque demum tuis, adeo in me benevolis, honorificis adeo, plurimùm etiam auxeris. Atque illarum ſanè, quod unicum mihi ſupereſt Exemplar, Romam brevi tranſmittam, ut & Vaticanæ, poſt Mediceam, Bibliothecæ, fiant acceſſio, neque minùs grata, quam utilis. Atque utinam ipſe aliquid, pro officio conferre valeam, in uſus, vel ornamenta, noſtræ etiam Bodleianæ, quod indicio teſtimonioque eſſe poterit, cultus mei obſequiique ſinceri perpetuique, Vos erga, atque ſimul in Britannia Literarum ſtudia; de quibus cum apud Exteros, ut ſæpiùs accidit, ſermo oriatur, unum fermè intelligitur, unum ſolummodò nominatur Oxonium. Vale. Florentiæ iij. Non. Dec. 1709.

JO-

JOHANNI CLERICO. S.

LXXII.

EX Brencmanni veſtri, Juvenis, cùm multa eruditione, tum facillimis moribus præditi, literis, non illibentèr ſcio, percipies, vir præſtantiſſime, ſimul ipſius in hanc urbem adventum, quamque comiter deinceps ac benignè, ab optimo Principe admiſſus receptuſque fuerit. Quoad libros ſanè, & doctinæ monumenta, & intra & extra Italiam peccatur, vitio fortè Bibliopolarum utrinque: nam apud vos æſtimantur admodùm Italorum ingenia; & quæ certè apud Batavos quotidiè eduntur, non tam elegantia characterum typorumque, (quæ ſumma eſt) quam varietate argumentorum, quam utilitate operum, præſtant placentque. Hæc omnia quidem nobis, ſaltem optima, compendiò exhibet Bibliotheca Selecta; cui Ficoronus, Roma etiam ſua plaudente, cumque ipſa, cunctis eidem, atque rei Antiquariæ benè volentibus, inſeri gaudebit; quaque mihi etiam huc ab Amſteledamo, ſed ſemel in anno, atque ſæpè tardiùs advecta, Tranſalpinæ noſtræ

eruditionis, apud communes amicos, Indicis partes lætus ago. Munus demum tuum, Menandri ac Philemonis reliquias ; (ſed heu Græcorum, recentiorum verò, piis fraudibus, doloque malo, reliquias tantùm !) legere avidiùs incipienti, intervenit Illuſtriſſimus Antonius noſter Magliabechius, & ſecum abſtulit : brevis equidem illa interpoſita meis deliciis, ſed non & inutilis ideo, publicam in rem, & ſtudiis, mora ; quum nihil pœnè interſit, ab ipſo ille, an à cunctis fermè aliis per urbem eruditis legantur ; ea eſt viro memoria, ea cum litteratis omnibus conſuetudo. Brevì quoque ad magnum ſe opus accinget Brencmannus, comite laborum optimo Salvino : ut ita in poſterum, non ut antea, Centones ſolùm Tribonianos, ſed ipſa Juriſconſultorum ſcripta atque opera, verèque Civilem, Romanamque ſapientiam, non à Græculis Byzantinis interpolatam adeo, miſerèque in hunc uſque diem vexatam, lectoribus bona fide repræſentet. Interim ſpem etiam das, prioribus litteris, poſtremiſque heri redditis, quibus Italos, Majorum laudibus ad paria facienda, accendis excitaſque, legendi Oroſium novo ineunte anno ; quem Cl. Clerico, atque inde bonis litteris, ſtudiiſque communibus, fauſtum precor, atque felicem. Vale. Florentiæ. Prid. Æræ Chriſt. 1709.

IL-

ILLUSTRISSIMO VIRO

DOMINO HENRICO

A NOVA VILLA

SERENISSIMÆ REGINE BRITANNIÆ ABLEGATO EXTRAORDINARIO.

S. P. D.

ACARNAN.

LXXIII.

REcepiſti Vir Magne, affectu haud vulgari Piſcium querelas, & vindicias, admiſiſti mutos ſuorum Jurium defenſores intra Muſei Tui Limina, imò quod, magis eſt, in cauſa eorum judicaſti. Tribuo multum impenſo Tuo, erga literas favori, multum ſubacto Tuo judicio; parùm fortè tædio, quod novorum undique affluentium, & nil niſi incoſtantem ævi hujus conditionem monſtrantium mole obruto Tibi ſuboritur, quod ex veteri Mundo nova adeò facilè admittis. Accipe nunc Illuſtriſſime Nevvtone, aliud hujus generis, quidem opuſculum vegetabilia ſpectans, quorum defenſionem ipſe in me ſuſcepi. Accipe, lege, Judica, & Auctorem porrò ama. Tiguri d. 8. Jan. 1710.

JOHANNI JACOBO SCHEUCHZERO. S.

LXXIV.

HErbarium tuum Diluvianum, & titulo ac opere ſpecioſum, Vir præſtantiſſime, nuper Mediolano excepi, Querelis Vindiciiſque Piſcium, re ipſa, atque argumento, pænè coævum; par ſane eruditione, & Figurarum Iconumque varietate ac elegantia, neque certè minori, me quidem erga, eruditiſſimi Auctoris benignitate comitateque. Volebam quoque & ipſe pridem ex Magni Ducis opibus aliquid etiam conferre, ſed dum longiùs trahebatur negotium, ſentio doleoque admodùm, jam tempora agendi præteriſſe, unàque modum, referendi gratiam muneri tuo, optimum, Tibique etiam, ut ex tuis poſtremis, optatum; adeoque utrique noſtrum, ex æquo, ſummeque placiturum. Interim verò, quod unum ſuperarat, Exemplar alterum, quo Famæ Auctoris, atque operis utilitati, latius ſpargendis, ſimulque commodis ex vera Philoſophia provenientibus, conſuleretur, in manus tradidi Comitis Magalotti,

Unius

Unius inſedit pectus cui totus Apollo,
Et ſapere, & fari, magno conceſſit Alumno,
Conſiliiſque ſimul Regum, ſtudiiſque præeſſe.

Quique omnium primus, præterito ſæculo, in lucem & publicos uſus, neque minùs in exemplum ſuo ævo ac futuris; acta & obſervationes, circa res Naturales, Academiæ hìc quoque Leopoldinæ, quæ Vulgo audiit *Del Cimento*, protulit ediditque : à qua demum poſtea, Celeberrimæ illæ Academiæ Regiæ, Londini, Lutetiæ Pariſiorum, ac Berolini, (quarum prima, ultimaque, Socio Scheuchzero, ſive ſuo Acharnane, gaudent ſuperbiuntque) quaſi à fonte ſuo derivabantur, ut ab Homero, Vates. Pergas igitur, ut incæpiſti, Vir Magne, Mundi noſtri origines, ex Reliquiis prioris, fractique Orbis, inveſtigare felicitèr demonſtrareque, Religionem cum Philoſophia conciliando, alteramque alteram confirmando, illuſtrandoque. Idque omne, ſtylo, pro more, amœno gratoque condire, ſic Eloquentiæ litando: & quid majus, utiliuſque, quam,
ſimul, & jucunda, & idonea dicere vitæ? Vale!
Flor. xv. Kal. Mar. 1710.

PE-

PETRO HIERONYMO BARCELLINI. S.

LXXV.

PArùm intereſt, ut ex tuis, Optime Barcelline nimium liquet, utrum quis ſenex fuerit, an Juvenis, quum utrinque amici noſtri ex orbe, atque Turba diſcedunt, niſi quod accedens primis annis, & quodam ætatis vere florentibus fatum, paulò acerbiùs quodammodo, & tantum non præcipitatum eſſe videatur; & præſertim nuperum Nobiliſſimi Caroli Beaufortii, ſeu non illud priùs prævisum, adeoque dilatum à medicis, ſeu quod vere dolendum, quodque ſimul indignationem cunctis movere poſſit, intempeſtivis noxiiſque remediis, acceleratum, potiùs atque accerſitum fuerit. Quod quæſo quid aliud eſt, quam Virgilianum illud in medium proferre?

Ferrumque armare veneno.

Diſputatum olim, utrum à morbis, an à Medicis plures interierint, & à partibus Medicorum erat Rex Carolus Secundus, qui cum Londini deceſſerat Medicus, & Arte, & Scriptis celeberrimus VVilliſius, atque eodem forte tempore decreſcebant

bant

bant in Urbe funera, id ipſe in argumentum ſuæ ſententiæ trahebat. Propriæ ſunt quidem nonunquam Artes Urbibus, quibus aliæ alias ſuperant: an autem Roma illa medendi unquam præſtiterit, non quæro. Veteres unum memorant Celſum, Vos nunc Lanciſium jactitatis. Te vero interim, Mi Amice cariſſime iis eſſe viribus, ea ſalute frui optarim, ut Tibi nequaquam Medico, vel medicina opus fuerit. Vale. Flor. xv. Kal. Apr. 1710.

GISBERTO CUPERO. S.

LXXVI.

LIteras medio ferè Januario à Te ſcriptas, Vir Illuſtriſſime præſtantiſſimeque, & ipſe, & optimus ſenex Antonius, noſtri ſimul atque ſtatus apud vos Literarii, memores; lubenter equidem legimus, alioſque deinceps amicos communis nobiſcum voluptatis compotes quoque fecimus. Ficoronus nuper ſcripſit, ſe brevi opus ſuum, in Bataviam Tibi tranſmiſſurum, partem verò ejus extremam, in qua ſua inſerit (ut in altera, quæ

in

in Monfalconio diſplicuerunt) ipſe in dies Roma aduectam, à Liburno expecto. Interim ab Urbe accepi, Muſeum Kircherianum, ſeu potius Bonannianum, ab ipſo Patre Bonanno editum, plenum ſane figuris elegantioribus, partim ad rem antiquariam, partim ad res naturales, ſpectantibus. Sed oh quam noſtra hic ſupellex Medicea, Romanam illam, & numero, & magnificentia axcederet, neque minùs fortè, quam Palatia Principum, Civium ædes; parùm quoque abeſt, quin dixero, quam vel Roma Vetus, & Tua Romam Hodiernam! Sed læntè procedit opus, ut ſemper fermè publica, ferè inſtar Laurentiani Mauſolei, quod aliud forſitan ſæculum requiret, antequam ritè abſolvi, dedicarique poſſit. Sed non ſunt omnia à nobis anticipanda, relinquendum, & aliquid induſtriæ ac voluptatibus poſterorum. Interea vero cùm Pax curctis optata, grataque advenerit, quæque in propinquo eſſe dicitur, videbimus etiam, an qui tantum armis nuper præſtiterint, paria non etiam poſtea facturi ſint in Literis. Gallica, & Civilia Bella, (qualia ſunt inter verè Chriſtianos omnia) Tempora Auguſti ſequebantur: atque eadem Ætas, fortiſſimos tulit Heroum, & clariſſima Mundi Ingenia. Vale. Florentiæ. xv. Kal. Apr. 1710.

NO-

NOBILISSIMO, ATQUE ERUDITISSIMO VIRO

HENRICO NEVVTON

POTENTISSIMÆ ANGLORUM REGINÆ,

Apud Regiam Celſitudinem COSMI III. *M. Ducis Etruriæ, nec non apud Sereniſſimam Genuenſium Rempublicam,*

ABLEGATO.

GUIDO GRANDUS FELICITATEM.

LXXVII.

INcredibile ſciendi deſiderium, & inexplebilem, abſtruſa quæque, magiſque profunda rimandi, cupiditatem humanæ menti ſummus Naturæ Conditor indidit, ut ad Auctoris ſui cognitionem, non ſolùm officii ſui debito ſollicitante, gratique etiam amoris ſtimulo urgente, ſed ampliùs objecti ipſius ſublimitate ineffabili invitante, quodammodò excitaretur. Huic genio præ omnibus indulgentes, imò fræna laxantes, acutiſſimi, ac præſtantiſſimi Mathematici, aſſiduo, & operoſo ſtudio in id maximè incubuerunt, ut ordine perſpicuo rationis ſuæ vim gradatim promoventes, ex primis, planiſſimis, ac cuilibet facilè obviis veritatibus, quarum notitiam ab ipſo Deo Opt.

Max. noſtris animis inſertam accepimus, ad alias magis arduas detegendas ſibi viam munirent, eo ſucceſſu, quem pauci licèt pro merito intelligant, plerique tamen in dies ſentiunt, & omnes jure mirantur. Nam, ut cetera omittam admiranda Theoremata, quæ ſe ab ipſis Geometriæ naſcentis exordiis prodiderunt, velut de æqualibus triangulis, & parallelogrammis in eadem baſi, atque in iiſdem parallelis, ad quàmlibet diſſitum intervallum obliquè excurrentibus: de ſpatiis quantumvis exiguis ad quamvis lineam applicandis, adeoque ad perimetrum majorem quolibet dato redigendis &c., quæ nunc, ut nugas, & crepundia ætatis illius deſpicimus: manet adhuc inconcuſſa adverſus omnem reluctantis imaginationis conatum, adverſus inanes Scepticorum cavillationes, & Pſeudophiloſophorum impetus, priſcis olim temporibus demonſtrata, cujuſvis magnitudinis infinita Diviſibilitas: manet tam certa, & evidens, quàm adhuc intellectui noſtro incomprehenſibilis, quæ ante omnem hominum memoriam olim detecta fuit, nonnullarum quantitatum Incommenſurabilitas, quam ſiquis ignoraret, hunc non hominem, ſed pecudem potius dicendum Plato cenſebat: manet adhuc numquam non celebranda, æquè ac ſemper ſtupenda illa Aſymptotorum affectio, quam, adoleſcente jam Geometria, Conici

Scri-

Scriptores deprehenderunt, nunc autem Mathematici recentiores, non ad unam, aut alteram curvam, Hyperbolam ſcilicet Apollonii, & Conchoidem Nicomedis, dumtaxat reſtringi, ſed innumeris prorſus novis lineis facillimæ deſcriptionis, nonnullis etiam antiquis eadem lege continuatis, ut Nicoſtrati Quadratici, & Dioclis Ciſſoidi, convenire demonſtrarunt. Verùm hæc nulla ſunt, ſi cum illa felici non minùs, quàm audaci Geometriæ, virilitatem ſuam jam adeptæ, aggreſſione conferantur, qua ſcilicet innumeros terminos in unam ſummam finitam colligere, immenſæ longitudinis ſolida, & ſuperficies, terminatæ, ac undique circumſcriptæ ſui generis areæ coæquare, infinitarum quantitatum proportiones, & gradus diſtinguere, & infinitè parva magnitudinum elementa reperire, atque in varias claſſes diſtribuere docuit. Neque verò ad ſterilem, & otioſam dumtaxat ſpeculationem hæc pertinere, non etiam externis hominum uſibus, quibus civilis vita maximè indiget, inſervire quis arbitretur: nulla quippe adeò abſtracta, & ab omnis materiæ commercio remota cognitio in Geometricis aſſignari poteſt, cui vel nunc, vel aliquando, fructus aliquis ex his, quæ apud vulgus in pretio eſſe ſolent, non ſit referendus, ſive inde per ſe ipſum pendeat, ſive mediis aliis notitiis ejuſdem, aut al-

terius Scientiæ, quam prior illa cognitio perfecerit. Profundioribus utique Geometriæ ſpeculationibus, & abſtruſioribus Analyticæ Calculis, tum Mechanicam, tum Opticam, tum Aſtronomiam, tum Nauticam, tum Geographiam, tum Architecturam, ac cæteras denique Scientias, & Artes, Reipublicæ commodis, & utilitatibus proſpicientes, auctas hodie, locupletatas, & ad faciliorem methodum redactas accepimus, noviſque ſemper incrementis, recentiorum Mathematicorum beneficio, magis ac magis in dies perficiendas ſperamus. Quocirca ſumma ſollicitudine omnino curandum eſt, ut profundiores Geometrarum Theoriæ, quas perſe jucundiſſimas, & de univerſo hominum genere tam benè merentes experimur, aſſiduè promoveantur, habitoque inter veras, & (ſiquæ irrepſerint) falſas delectu, his confutatis confirmentur illæ, atque ab objectis fortaſſe ſcrupulis vindicentur. Hinc, cùm Clariſſimi, inter præcipuos inclytæ Nationis tuæ Mathematicos, Joannis VValliſii PLUSQUAM-INFINITA ſpatia, quæ primus ipſe inter hyperbolas infinitas altioris ordinis, ſumma cum omnium admiratione, detexit, à nonnullis Regiæ Pariſienſis Academiæ Geometris nuper in dubium vocari, tum apertè rejici animadverterem, operæ pretium facturum me exiſtimavi, ſi rem totam [quæ maximi eſt in

ſcien-

ſcientiis noſtris momenti, ob connexionem, quam cum methodo recentiorum Analyſtarum Scientia hæc Infiniti ſortitur] iterum examini ſubjicerem, & ad lydium Geometriæ lapidem exigerem, de tam celebri controverſia deliberaturus : cùmque VValliſii veſtri partibus multiplex ab ipſa veritate ſuffragium accedere deprehendiſſem, irrogatam Viro graviſſimo injuriam propulſandam, inuſtam immortali ejus Nomini labem abſtergendam, ejuſque doctrinam ab omni fallaciæ ſuſpicione hoc libello purgandam, Te potiſſimùm hortatore, conſtitui. Novos addidit operi ſtimulos ipſamet Illuſtriſſima Regalis Societas, à Sereniſſimo Rege Carolo II. ad naturales Scientias promovendas fundata, dum me, obſcurum, ac peregrinum hominem, inter ſocios ſuos ultrò conſcribendum cenſuit, meaſque, in Armachani Præſulis ſyſtema ſonorum, ſpeculationes, Illuſtriſſimo Præſide Iſaac Nevvtono Equite aurato, Mathematicorum noſtri ſæculi Principe, necnon Doctiſſimo Haulæo, in Univerſitate Oxonienſi Profeſſore Aſtronomiæ Saviliano, ſummè probantibus, ejuſdem Academiæ actis inſeri, & inter philoſophicas Tranſactiones edi mandavit : cui quidem honori, ut aliqua ex parte me gratum oſtenderem, nihil opportunius, & huic propoſito accomodatius occurrit, quàm ſi prælaudati VValliſii, qui Regiam ipſam Societatem

tem tantoperè illuſtravit, famam ab illata calumnia defendendam hac Geometrica Diſquiſitione ſuſciperem, quam, meo nomine, eidem Ampliſſimo Academicorum Cætui communicandam, Tibi offero, Vir Illuſtriſſime, atque Eruditiſſime, ut mei ſimul erga Te obſequii monumentum aliquod apud poſteros maneat, nulla temporis injuria intercidendum. Nihil attinet, ut in Virtutum tuarum, hoc qualecunque venerationis teſtimonium ſuo veluti jure exigentium, uberrimum campum excurrere orationem meam permittam, cum ipſo etenim præſentis Tractatus titulo ampliſſimi hujus argumenti fæcunditas decertaret, meque in ſpatia PLUSQUAM-INFINITA laudum tuarum abduceret, ac dolorem denique noſtrum, ex imminentis jacturæ timore conceptum refricaret, dùm à Prudentiſſima Regina, meritorum tuorum ſat conſcia, eximiis honoribus auctus in Patriam revocaris, omnium, quibus Eruditio, Doctrina, Facundia, Elegantia tua, cum ſumma Humanitate conjuncta, perſpecta eſt, amorem tecum, & deſideria ſimul aſportaturus. Unum igitur ſupereſt, ut Te, qua licet fiducia, ſupplex exorem, ad libellum hunc benigna, qua ſoles, fronte excipiendum, ejuſque Auctori, quibus ipſum dignaris, benevolentiæ, & gratiæ tuæ officia jugiter continuanda. Vale. Piſis, Pridie Kal. Februarii 1710.

CON-

CONSTANTINO RONCAGLIA. S.

LUCAM.

LXXVIII.

QUantum humanitate tua Reverendiſſime, & Illuſtriſſime Domine, obſtrictus teneor, quum neque pluribus curis, neque doloribus ex morbo vacuus, mea interim minimè legere diſtuleris, hominis equidem exteri, neutiquam ullis priùs officiis, neque vel ſolo aſpectu cogniti; quodque etiam pro eadem benignitate, Italos quoque tuos, brevì inſuper ſpondere lectores, dignatus fueris; mihi multò facilius eſt ſentire, quam exprimere. Si verò hæc noſtra non ipſi penitùs diſplicitura ſint, id totum pendebit, ab eruditione, à prudentia, à comitate optimi Roncagliæ: ſanè priori multum, alteri plurimum, omnia autem ultimæ debeo. At forſitan aliquid etiam indulgendum ſcribenti, animo negotiis inſtantibus non rarò impedito occupatoque, atque certè ab impendentibus ex munere, nunquam ſatis vacuo; adde, quod plurima ad amicos raptim data, pro occaſionibus, & ne officio deeſſem; quæ tamen

ſin-

ſingula, ſtylo curæque multùm detrahunt: Atqui interim intra mea limina, vel ſaltem ipſorum, tutò ea in poſterum latere poſſe credebam: & inde erat, quod plura fortè minùs cautè calamo excidebant, quæque ore paulo liberiore prolata eſſe videantur; ſermonum ferè adinſtar, qui inter ſuos, familiareſque, remotis arbitris, haberi ſolent. Nunc verò, quum procedente tempore, in numerum molemque quandam excreverint, meuſque hinc in Britanniam diſceſſus quoque urgeat; poſtulantibus demum amicis, aliqua delibavi, ex quibus aliquatenus, cum vobis, tum civibus meis, aliiſque etiam, (ſi tantum aſſequi valeam) conſtare poſſit, quantum à me Italia jure æſtimetur, quantum Filicaia Vates, quantum Averanii, Salvinique Fratres, aliique plurimi, Patriæ veſtræ communis, noſtrorumque temporum ornamenta; atqui minimè omnium prætereundus alter, quem ne modeſtiam legentis onerem, hìc fortè ſatius fuerit intelligi, quam nominari; quique ex operibus, cunctis innoteſcet, ſicque meliùs à Poſteris nominabitur. Vale. Florent. xviij. Kal. Mar. 1710.

EI-

EIDEM. S.

LXXIX.

QUòd Optimi Conſtantini Roncagliæ Nomen inter mea legatur, id & mihi olim maximo Decori erit, & unà Officiorum ſuorum, meique erga ipſum Obſequii, & Gratitudinis, apud alios etiam, quod maximè in votis erat, aliquali teſtimonio. Adeoque in extrema parte Voluminis inſertum vides, ut quum demum incœperit Opus, ſub auſpiciis Illuſtriſſimi Sommeri, ita in tuo Reveritiſſimo Nomine, feliciter quoque deſinat; ſicque exitum liber omnimodò parem initio conſequatur. At ſpero veſtris impreſſum denique typis Lucenſibus, minori ſaltem tuo incommodo, Vir præſtantiſſime, quam pridem manu exaratum, legeris, jam morbo, atque morbi reliquiis liberatus; ut ita in futurum, & Tibi, & ſtudiis, adeoque Publicæ Rei, unicè, atque optimè, vacare poſſis. Vale. Florentiæ. Non. Apr. 1710.

DIECI LEZIONI

COMPOSTE

Sopra il Quarto SONETTO della prima parte del Canzoniero del Petrarca,

E RECITATE

NELL' ACCADEMIA DELLA CRUSCA

DAL DOTTOR

BENEDETTO AVERANI

FIORENTINO

Professore di Lettere umane nello Studio di Pisa, e Accademico della Crusca.

ALL' ILLUSTRISSIMO SIGNOR

ENRICO NEVVTON

INVIATO STRAORDINARIO DI S. M. DELLA GRAN BRETTAGNA

All' A. R. del Serenissimo G. D. di Toscana, e alla Serenissima Republica di Genova.

IL-

ILL.^MO SIGNORE

SIGNORE, E PADRONE COLENDISSIMO.

IL piccolo dono di queſte mie Lezioni, che io le dedico, ben volentieri, e di buona voglia viene a preſentarſi alla magnificenza di VS. Illuſtriſſima, ſicuro d'eſſere accolto benignamente, e dalla autorità ſua illuſtrato, e difeſo dalle calunnie potentemente; poiche in lei ſi vedono a maraviglia riſplendere quelle qualità, che ſi ricercano in coloro, a quali ſi deono ſimiglianti doni offerire. Si vede il diletto, che tra le Cure più gravi la ſua mente ſchiva dell'ozio vile, dalle arti belle ſi prende: ſi vede, che nelle Muſe ogni ſuo ripoſo, ogni ſua gioia, ogni delizia ripone, e non contenta dell'eloquenza Latina, ama, e coltiva ancora l'Italiche lettere, e le orecchie dà ſovente a poeti, e dicitori Toſcani: ſi vede l'autorità, che non ſolo per sì eminente grado di Oratore di grande, e glorioſa Reina; ma molto più anche per le ſue virtudi egregie, e ſingolari, per la corteſia, per la prudenza, per la modeſtia, e lealtà, e piacevolezza ſi è procacciata; ſotto l'ombra della quale ſperano queſte mie fatiche ritrovare ſicuro porto, e quella luce acquiſtare, che mai per ſe medeſime non conſeguirebbono, maſſimamente vedendo in lei mirabilmente fiorire grand' erudizione, ed eloquenza, che ſono le armi con le quali ſolamente ſi

possono difendere. Imperciochè non tanto la Potenza, o la Dignità, o la Grandezza, quanto la scienza, e la facondia sono valevoli a render vana la rabbia dell'invidia, che l'altrui onorate fatiche col suo pestifero fiato cerca d'atterrare. Queste due doti fra l'altre preclarissime illustrano la persona di VS. Illustrissima, e la rendono degna del grado, in cui l'altrui sovrano accorgimento la collocò. Ben vide quell'alta Reina, che quelli, che si inviano a Principi grandi messaggieri, ed interpreti della mente de loro Sovrani, deono aver congiunta la cognizione delle cose coll'eloquenza: e perciò non senza cagione gli Antichi finsero, che Mercurio Messaggiero de gli Dii, fosse dell'arti nobili, e dell'eloquenza inventore; ed Omero fonte d'ogni dottrina dà sempre l'uficio d'Ambasciadore al facondissimo Ulisse, che possedeva eloquenza simile alle nevi vernali, che in gran copia dal Cielo discendono, e in breve ricoprono la faccia della terra; e Vergilio Latino Omero introduce per ambasciadore l'eloquentissimo Ilioneo, e il Tasso Alete dalla cui bocca uscieno

Più che mel dolci d'eloquenza i fiumi.

Tali elegger si vogliono quelli, che debbono appresso Principi stranieri la mente de' Principi loro esporre, e conviene che sieno non solamente per titolo; ma per dottrina, ed eloquenza veri Oratori, e tale è la sua persona, nella quale si unisce e scienza singolare, e non volgare facultà di bene, e acconciamente ragionare, dalle quali

sue

ſue belle doti moſſo vengo a dedicarle la preſente Opera, e confido nel ſuo patrocinio, e la prego, che le piaccia con quella benignità accogliere, e difendere queſte mie Lezioni, con cui, quando nella Accademia noſtra ſi recitavano, l'aſcoltava, ed inſieme con le medeſime dedico a lei me ſteſſo, e mi profeſſo.

Di VS. Illuſtriſſima

Umiliſs., e Oóligatiſs. Servitore
Benedetto Averani.

10352261

10352261

ORATIONES.

10352261

ORATIO
AD M. ETRURIÆ DUCEM
DIE EJUS NATALI.
MDCCV.

ADvenit Dies, & ſæpè adveniat, quo nuſquam lætior unquam, vel Civibus Exteriſve illuxit, aut poſſit eluceſcere; qui Principem dedit Etruriæ, in ſui Sæculi ornamentum, & futuris Principibus in Exemplum; quo ſimul & præſentis ævi bono, & Poſterorum etiam commodis optimè conſuleretur. Fuerint aliquando Principes, qui totius Orbis otium, & tranquillitatem Bello, & armis concuſſerint, convulſerintque; res Humanas, ſuaſque demum conturbaverint; Victoriis admodùm multis, & acceſſione Provinciarum Regnorumque, faſtos impleverint; & inde apud ſibi obnoxios, & vicinos fortè populos, inclaruerint. Sed illum certè malint Rectorem, ſi ſapiant, & aliquando non errent homines, qui Religionibus deditus, paci morem imponat, Civium querelas, non in faſtum, aut oſtentationem, ſed in Populi emolumentum, facilis, quotidie, libentèr audiat, ſed multò libentiùs

alacriuſque multò, ſupplicibus, & oppreſſis opituletur atque ſubveniat, neque ſibi, neque Fortunæ nimiùm licere permittat, Diemque ſe perdidiſſe credat, in quo nihil cuiquam præſtiterit, Tempora ſolummodò Beneficiis computando, qui Rempublicam emendet Legibus, ornet Moribus, proprias Pacis artes colat, ipſe ab iiſdem meritò colendus, qui denique Conſervator Mundi, quam Dominus eſſe velit. Non ſanè hoc eſt Ninos, aut Alexandros ſequi, Magnos ſci. Gentium Domitores, & Conditores Imperiorum, ſed à ſapientibus pro prædonibus publicis, & humani generis hoſtibus peſtibuſque habitos: attamen quod majus, quod ſublimius, quod difficilius, quod rarius, Titos potiùs, Hadrianos, & Antoninos, Pios illos, Pacificos, & Eruditos, verè Humani Generis amores, & Delicias, Orbis terrarum Reſtitutores, Virtutem, in Rerum apice, in Imperio, pro dignitate locatam, Univerſos in commune, & Principatus Decori natos editoſque, quos inter, nunc ab omnibus intelligitur, olim & ipſe, non tantùm à ſuis, ubique adhuc uſurpato receptoque erga Viventes more, ſed conſenſu Sæculorum, cum Majoribus, Coſmo, Patriæ, Laurentio etiam & Italiæ, ac Utroque, Literarum, Patre, Civibus adhuc & privatis, necdum Principibus, necdum Summis Etruriæ Ducibus; & altero Coſmo, &

titu-

titulo & rebus geſtis Magno, inter domeſticæ Virtutis exempla, unà recenſebitur, celebrabitur unà, hujus Diei Princeps. Et quid magis ad utilitates publicas, ad veras, & non fucatas evanidaſque laudes, ad ſempiternam nominis famam gloriamque conferre poterit, quam Principem artibus certare cum Doctis, ſapientia cum Philoſophis, Religione cum ipſis, primis ſæculis, Chriſtianiſmi profeſſoribus, & qui tanti nominis menſuram implebant; Puritate, & innocentia vitæ, cum ipſis illis, qui ſe à Mundi Conſortio, quaſi penitùs abſciderunt? Et quantò cum majori, tum laude, tum fructu? Multò ſanè longiùs manat Exemplum, & ad plures ſpectat, quam illorum, qui ſolùm Deo, ſibique vacare poſſunt, ſpes ſupra, metuſque evecti, extra malorum commercium, exempla, & contactum, quaſi in tuto poſiti, non ut in Urbe, in Foro, in Aula, undique circumſiti, & quaſi obſeſſi vitiorum illecebris, & irritamentis: non eo loci eſt, aut ſaltem non eſſe debet, qui faveat peccantibus, ne dum ut illis impunè ſit; multò minùs quod alibi fit, ut ſemper cum venia, & non rarò, quippe inter Obnoxios aut Adulantes, haud ſine præconio etiam delinquant. Alia Principum res eſt, alia Virtus, longè quidem illuſtrior, ardua magis, & uſus certè latioris. Sic Sibi, Civibus, Immortalitati ſtu-

ſtudetur. Quid tandem igitur, Sereniſſime Optimeque Coſme Princeps, Etruſcis tuis, & qui non ſunt tui? amplius, imò unicè ferè dixerim optandum, quam ut hæc bona ſua, rata, & perpetua ſint? quam ut ſi qua fortè, illos inter & Anglos, jacta fuerint diſſidiorum ſemina, velut in flore præcepta, nunquam ad malè maturam perveniant frugem, quo Gentium quies, & Medicei Nominis cultus & honor, illibata maneant, & in æternum durent: Quam etiam ut hujuſmodi Natales cœlo, terraque plaudentibus, plurimi recurrant, à volenti gratoque populo, eodem gaudio & frequentia, eadem publica hilaritate, & lætitia, celebrandi. Quod demum ut obtineat, Vota voce ſuffragiiſque antiquiſſimorum temporum Eccleſiæ, quam ille ſemper præ oculis habet, & cujus mores vita exprimit, quoſque illa præcepit, præſtat; pro Principe Summo Numini nuncupanda, ut ſit VITA ILLI PROLIXA, IMPERIUM SECURUM, DOMUS TUTA, EXERCITUS FORTES, SENATUS FIDELIS, POPULUS PROBUS, ORBIS QUIETUS.

ORA-

ORATIO
AD M. ETRURIÆ DUCEM

In reditum ipſius Florentiam poſt Ferias Octobres ex Seceſſu Ambrogiano.

MDCCV.

URbs nuper Principis abſentia ferè deſerta, & quaſi in ſolitudinem verſa, iterum hilari admodùm vultu conſpicua exultanſque, redeuntem videt excipitque, ac ſolitam unà frequentiam, & quales ut antea feſtos lætoſque dies: Cùmque ſalvum eundem atque valentem, ab otio, ab innoxiis & honeſtis voluptatibus Ruris, à religioſo Seceſſu, ubi corpori ſimul animæque conſulitur, receperit; gratulatur pænè, tanti apud ſuos eſt Principis ſalus, priſtinæ ſolitudini, & nolit illum minùs abfuiſſe. Tota itaque effunditur ſolviturque in lætitiam plauſuſque, & non fictas Gratulantium voces, quippe quas non metus, ſed Civium amor exprimit, quum ipſi, exteris quoque gentibus conſciis, & mirantibus, meminerint, & non poſſunt non meminiſſe, quanta à Principe bona acceperint, & quantum indies novis cumulentur. Nunc non licet eſſe miſeris, ad

Prin-

Principem enim aditus patet; Non licet esse non felicibus; quotidie enim aspectu, congressu, colloquio, beneficiis etiam recreantur Principis. Jam foro, negotia; jam studiis honor redeunt: Non litibus æternis vexantur & deficiunt cives, sed severitati Legum, sed moris Tribunalium Ipse se interponit, & æquo bonoque temperantur Jura: A Fori strepitu ad leniorem lætioremque sapientiam neque rarò recurritur, & Professoribus literarum, ac bonarum artium studiis præmia, dignitas, utilitas demum sua constant. Adest Princeps, ille enim rara Terrarum Dominis laude, scientia & artibus præsidet, ut Imperio: & agnoscit, & audire gestit, quemadmodum de se Posteri sentient, & loquentur, famaque futuri sæculi vivens adhuc fruitur, & posteritati suæ lætus securusque interest. Neque adulationi locus est, malis enim solùm Principibus adulantur homines, ut malis solum irascuntur. Et nonne is meritò quadam Æternitatis prærogativa, & anticipatione gaudeat, qui nobilissimam, rem ritè æstimantibus, utilissimamque Annalium, historiarumque partem facit, Gloria, famaque non Armis, non Provinciarum spoliis gemituque, sed Avorum instar, Mediceæ Gentis Heroum, Pace, sed Artium cultu, sed Boni semper publici studio curaque, quæsitis atque partis? Ut verò hæc redeant Civitati

gau-

gaudia ac munera, & ibi quoque certam quodammodò figant ſedem, ut non tantùm nunc ad invidiam felix, ſed & tuta in Poſterum ſit Florentia, Cùm ſecuritas publica jam diu & robur ſimul & fiduciam aſſumpſerit, quid non ſuis à Coſmo Tertio proviſum eſt? Cujus ſapientiæ & felicitati, à Rectoris enim ſapientia ut plurimùm temporum pendet felicitas, quantum ſua debet Etruria, quod inter motus, & tumultus Italiæ imperturbata & immota ſedeat; quod ipſo Terrarum Orbe, Bello ubique, concuſſo vaſtatoque, ſola interim, pace, & otio lætetur ſuperbiatque! Et tua certè ſecundum Deum Immortalem, Sereniſſime Princeps, in manu ſitum eſt, id etiam valdè vult, id magnoperè expetit Anna, Anglorum Victoris Populi Domina, (quæ modò Conſulem Liburni ad Mercatorum Civiumque ſuorum res procurandas tuendaſque conſtituendo, novum amicitiæ pignus, mutuique commercii fidem dedit.) Ut hìc apud vos præſens, & tranquillus admodùm rerum ſtatus, idem, ac integer maneat, & Coſmiani Sæculi felicitas, uſque ad Poſteros prorogetur.

Libellus Supplex M. Duci Oblatus.

A Principio, omni Ævo, cunctos homines Genteſque, & præſertim Chriſtianos, indulgentiſſime Princeps, mortuorum cura, & quaſi religio quædam inceſſit; Quare ad clementiam, bonitatemque veſtram Angli tui Liburnum incolentes ditanteſque, ſupplices confugiunt, ut ipſis, ac Poſteris eorum concedatur privilegium muro ambiendi, qua demum altitudine Principi placuerit, ut Urbis minimè officiat munimentis, ſepiendique locum, quo ſuorum corpora terra condantur, ne oſſa carique cineres inuriis hominum pateant, neve feris immundis præda fiant: neque Anglis benèmeritis de Gente Etruſca denegetur, quod pietas tua, Coſme Princeps, olim Batavis præſtiterit, & quo nunc illi jure fruuntur.

Libellus Supplex ad Ducem, & Senatum Genuenſem, De Vindicanda Famuli Cæde.

MDCCVII.

ÆQuum duxi, indigna famuli cæde motus, publica etiam allocutione, Sereniſſimum Principem ac Senatum adire, ut & mei doloris adeo juſti, & veſtræ etiam vindictæ, tum foris tum domi, teſtimonium conſtaret. Neque ſanè libens ſentire velim, aliam ob rationem finemque, hujuſmodi homicidii reum, priùs ex Templo, quò ſceleris tam immanis conſcius, pœnamque metuens extremam, confugerat, doloque ſe ex manibus Inquiſitorum receperat, demum extractum, publicoque carceri incluſum, quam ut palàm omnibus fieret, nemini, ſecundum jus divinum, ac moratiorum denique gentium inſtituta & leges, atque ab initio quaſi rerum, ubique exempla, homicidæ proditori, aſylum patere: ultimoque demum, pro criminis atrocitate, ac capitali ſupplicio meritò afficiendum. Id enim & Juri ſacro, & Primævo convenit, ita in perpetuum Deus ipſe in humani Generis tutelam, reparato modò Mundo obtinere juſſit: *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*;

ad Imaginem quippe Dei factus eſt homo: quaſi ſi quis volens homicidium fecerit, & unà læſæ quoque Majeſtatis Divinæ reus fuerit: Id etiam, ipſius rei naturæ, ex pari, æque ac Gentium quoque Juri maximè convenit, facinore in familiam, Publicam ſuſtinentis Perſonam, maximæque Reginæ ad Sociam, atque amicam Rempublicam Ablegati, commiſſo. Interim gemit quaſi Terra, fuſi innocentis ſanguinis adhuc rea: atque proditor homicida, pluribus & antea cædibus infamis vivit etiamnum, ac fortè in aliorum Civium, Exterorumque metum cædeſque, atque præ cæteris Anglorum, quibus & ante hoc Scelus ab ipſo patratum, talia inſolens ac ſæpiùs minabatur, atque nimiùm Fides dictis conſtitit. Neque ulli certè ignotum, vel ex veteri, vel ex recenti hiſtoria, quanti Populis conſtiterint, iſtiuſmodi cædes, ſive injuriæ, ad Legatos ſpectantes, aut perpetratæ, aut non pro merito vindicatæ. Sic & ipſi etiam Sereniſſimæ Reipublicæ, edito tam ſalubri, ſeque digno, exemplo, & in poſterum ſuis quoque, ac cunctorum ſaluti profuturo, Sic Dignitati, ſic Securitati Legationum, rei apud omnes ſacræ, & qua Gentium etiam magna illa communitas continetur ſervaturque, optimè, ſi non & unicè, conſuletur.

10352261

CARMINA

MISCELLANEA, ET ADOPTIVA.

.....O LABORUM
DULCE LENIMEN!

Hor.

ERUDITISSIMO, PRÆSTANTISSIMOQUE VIRO

HENRICO DE NOVA VILLA

PRO

ANNA ANGLIÆ REGINA

AD SERENISSIMUM ETRURIÆ DUCEM ABLEGATO.

HENRICUS DE NOVA VILLA
Musarum Decimus, Charitum Quartus, Ingeniorum Primus,
QUEM
Divisa ab Orbe BRITANNIA
Excolendum, Commendandum, Suspiciendum
Orbi tradidit Universo:
CUI,
Vati ornatissimo, Jurisprudentiæ lectissimo Candidato,
Phœbus sapienter scribendi, Themis rectè judicandi
Lumen afflarunt, & Numen:
Apud QUEM,
Et Patria, & Latialis lingua
De primatù, jure tam æquo certant,
Ut cum eo utraque nata videatur.
Antiquæ Parentum stirpi
Mirificum virtutis addens auctarium,

Ad

Ad res magnas capeßendas
Vocatus à Genio, à Virtute invitatus,
ANNA Regina Imperante,
Etruria Exultante,
Ipſa etiam invidia plaudente
Ad SERENISSIMAM MAGNI ÆTRURIÆ
DUCIS CELSITUDINEM
Legati vices perfuncturus, FLORENTIAM veniens;
Urbem ipſam,
Niſi inveniſſet, effeciſſet literariam:
In ea nempe Muſarum palæſtra
Scribens, Gratiis litat, & Muſis,
Loquens, lepòri ancillatur, & elegantiæ;
Nec à tanto Regnorum ſtrepitu,
A tanto Provinciarum tumultu avocatus à ſtudiis,
Palladem in armis natam, in armis excolit;
Et fabulas ipſas ſuperans NOVA VILLA
Facundia ita animos alligat, eloquio trahit,
Ut & BRITTANNIA ſuum Herculem habere diceres.
Talem ſe demum exhibet,
Ut in eo ſæpe quid invideas, rarò quid non ſtupeas
Nanciſcaris.

VIN-

VINCENTII A FILICAIA
SENATORIS FLORENTINI,
AD HENRICUM
DE NOVA VILLA.
ODE.

QUalem HENRICE, tui nuper imaginem
Vidi, & quale adytum Magnæ Animæ palam
Introſpexi, avidus cum legerem novo
Raſam pumice paginam!
Velo tecta quidem divite, ditior
Icon ſeſe oculis obtulit, & virens
Ætas, cruda & adhuc mens, & acerbior,
Fructu præcoce jam gravis.
Vidi illam in gremio Nobilis Otii
Tunc fœtam ſtudiis, & dominam ſui,
Addictamque Sibi, ſpeſque hominum, & metus
Ridentem, armaque, plurimo
Diſtricta (heu facinus!) non ſine ſanguine,
Seu Bætim premeret Sequana: Claſſe ſeu
Ferveret Batava Pontus, & Anglica;
Iſtri ſeu tuba clangeret.
Arni Urbis dominæ Regius at modò
Hoſpes, mentem aliam, prout decet, induis,

Deſertorque tui, ac transfuga, in unius
Reginæ obſequium migras
Magno inſtans Operi. Cura te identidem
Sommeri alta tui, teque amor impotens
Abſentis cruciat! Par adeo inclytum
Heu quot diſſociant freta!
Verùm non ego ſum tanti, ut ames me. Amas,
Et laudas, (probitas quæque tua eſt) parem
Priſcis me haud dubitas dicere Vatibus,
Et præferre Recentibus.
Quidnam ipſe? inficier? non equidem audeo.
Credam? nec valeo, nec volo credere.
Per vim credo tamen, cogor & in meam
Conſentire ſcientiam.
Famam ſanè aliam quid mihi comparem?
Dictum fama tuum eſt; utque latex Mare
Ingreſſus Mare fit; ſic mea Laudibus
Miſcetur Lyra dum tuis,
Infuſa imbuitur laude. Vide obſecro,
Quantum Vero adimam, credere dum tibi
Conor; ſed tribuas æqua mehercule
Hoſtimenta mihi eſt opus.
Præbe aures igitur tu quoque credulas.
Vera, HENRICE, loquor. Nunquam aliàs tua
De Nobis merita eſt Anglia tam benè;
Rerum quippe tibi omnium
Dos ampla, & locuples contigit. Arduas

Per legum ſalebras tu pede libero
Curſas : tu Aonidum lacte ſatur bibis
Quicquid ſuada leporum habet ;
Perque omnem Sophiam, perque Mathemata
Jam te circumagis ; promptaque, & obſequens
Penè ancilla, bona Depoſitum fide
Mens Reddit, volupe ut tibi eſt.
Cui verò in latebras Temporum apertior
Callis? cui variæ Gentium, & Urbium
Leges, Mos, Regimen, cui magè pervia
Sunt arcana diutinis
Interciſæ odiis, viſcera & in ſua
Debacchantis, adhuc nec miſeræ ſatis
Europæ? ipſe tibi Notior haud quidem es,
Quam cuncta iſta. Negas? Deum
Jam nunc, teque tui tam benè conſcium
Contra te ſtatuo. Dixi ego paucula,
Ut credas. Reliquum non ita me Dii ament,
Enervi aggrediar Lyra.

Epigramma ejuſdem.

Me laudas, ego te ; peccavimus ambo ; ſed impar
Culpa eſt, plus juſto laudor, & ipſe minùs.

SENATORIS FILICAIÆ

ODE.

FLoris cadaver vivere non rudis
Quod dextra nuper juſſit, ego tibi
Henrice mitto. Rex Odorum
Iſte frutex, fruticumque Princeps,
Goæ huc ab hortis, transfuga nobilis,
Longinqua venit per freta, regium
Inſigne donum, charius quo
COSMUS habet nihil: Aſpice, oro,
Caulem atque frondes, illum humilem haud quidem,
Has paulum acutas, & breviuſculas,
Plenaſque ſubnigri viroris,
Quali Oriens amicitur herba.
De flore verò quam benè Regius
Meretur hortus! non alibi ſolum
Felicius, brumamque contra
Non alibi magè fida ſedes.
Flos quippe centum, denaque ſexies
Frontem perangustam infolia explicat,
Suique dives, involutum,
Ac duplicem, triplicemque nodum,
Cum lactearum tegmine pellium
Tam densè ac arctè complicat, ut mihi

Con-

Conſtare jam non poſſit, intùs
Qua ſerie foliorum abundet.
Denariorum hinc pondere quattuor
Gaudet, bis ultra grana fere novem;
Tam provida eſt Natura, & ingens
In re adeo tenui, ac puſilla.
Plantæ quid arens heu ſceletus, cutem ut
Atque oſſa & artus & faciem refert
Demortuam, ſic vivum odorem
Non retinet? Miſeram, Artis ò vim,
Cui poße tantum non datur! at mei
Vapor ſi odorus nunc ope Carminis,
Tuas parumper intret aures,
Grande operæ pretium faceſſam;
Quod ſi ipſe cantum prompſeris, ambigam,
Veruſne narem palpet odor magis,
An fictus aurem; altumque & ingens
Mente bibam ſitiente melos.
Nomen volebam Plantæ ego dicere;
Verùm repugnat ſyllaba, & inſolens
*Vox, nec Latina. * MOGARINUM.*
Pro arbitrio tamen ipſe dicam.

* Jaſminū Indicum.

Ejuſdem altera de Cadavere Mogarini.

HOras vixi ego pauculas, manuſque
Labile ut mihi prorogaret Ævum,
Barbarè ingenioſa me recidit;
Humoremque Animamque prorſus omnem
Emunxit; ſine Odoris inde cenſu,
Frondiſque, & nivei coloris expers,
Mei umbra & ſceletus, meam ipſe mortem
Per terras, pelagumque per profundum
Jam circumfero Nobilis Viator.
Littus en tenet anchora, obviumque
Jam prendo Thameſin, diemque ut albo
Præſignem redivivus hanc lapillo,
Actutum fore pollicentur, ille
Omnium Pater Eruditionum
Diſertiſſimus, Arbiterque Pindi
HENRICUS: neque non diſertus æquè,
Et nulli Veterum, & Recentiorum,
Quot ſunt, quotque fuere, poſthabendus
Sommerus, duo fulcra Literarum.
Hi me Carmine, quo nihil profectò
Defæcatius eſt potentiuſque,
Vitæ reſtituunt priori, & auram
Inſufflare Poeticam laborant.
Quid præſtigia non Poeſis audent?

Jam

Jam tetra hæc macies abiit, meæque
Læta in caule regerminat Juventus,
Et frondes redeunt, colorque, odorque;
Glebæ & fiet ut Anglicæ mariter:
Et mea immodica, & ſuperba, & audax
Ni ſpes eſt nimiùm) Britannici Orbis
Auguſtum Dominæ Caput Coronem.
Oh mortem egregiam! interiße prorſus
Me dici poterat, niſi interiſſem.

Ad Senatorem Filicaiam in Mogarinum ſuum.

HENDECASYLLABI.

FElix India Sole læta primo,
Florum Principe læta Mogarino;
Præſtant Lilia cui ſuum Nitorem,
Suaves nec Roſa denegans odores;
Quo viſo fieri velis vel ipſe,
Totus tunc Oculus, ſimulque Naſus.
COSMI delicias tenet ſuperbum
Caſtellum, domini Decuſque Amorque,
Florum grataque Vitiumque ſedes;
Nativi viret immemor ſolique,
Uni nunc cupiens placere COSMO.
Ævum ſed breve, Pulchra ſortiuntur,
Hic & Floribus, haud odor manebit,

Va-

Vaneſcet color omnis, ac avari
Orci ſunt Spolium, Inferique Regis:
Sed tu Planta beata, Mortis expers,
Et jam nacta novam, alteramque Vitam,
Proles Carminis, Interire neſcis!
Non nunc India, non Etruſca tellus,
Sed Mundus, Patria eſt, viges ubique,
Nec Candor perit, halitus vel oris,
Viſus gaudia, Nariumque ſemper.
Vitam, Phœbe Pater, brevem dediſti,
Quam Vates dederit, Perennat uſque.

SENATORIS FILICAIÆ.

EPIGRAMMA.

DE MOGARINO.

PRimam Vitæ auram levitèr Mogarinus ut hauſit,
Seque repentè rapi vidit ad interitum,
Sæva inquit Mater Natura! Utinam aut mihi non tam
Forma decens, Ætas aut magè longa foret!
Durè agis! Anne reus, quia ſum pulcherrimus? heu quam
Durè agis! at cauſam non ego inultus agam.
HENRICI ad Muſas appello. Sic mea vincam
Fata ego, parſque mei magna ſuperſtes erit.

IN

IN MORTEM
STEPHANI VVALLER
ANGLI
SUMMI ADVOCATI, ET AMICI.

ELEGIA. 1707.

DEvitans Urbis ſtrepitum, pompamque Palati,
Cunctaque quæ Votis ſint minùs apta meis;
(Quin nos Fata premunt, ſuperi nimiùmque potentes,
Contigit & paucis, quà juvat, ire via.)
Sylvarum ſecreta, Arnique fluenta petebam,
Quo nullus Muſis gratior Orbe locus.
Hìc patre plena Deo Tuſci penetralia Phœbi,
Et tantùm in numeros lingua ſoluta cadit:
Inferus hac Dantis Mundus ſuccrevit in Umbra,
Cùm nondum Vati Flora noverca fuit;
Et Celebrata priùs, Defletaque Laura poetæ,
Victuruſque Dolor, nec moriturus Amor.
*Fallor an hoc primò non * Thyrſis rure canebat,*
Et Sachariſſa illi cura ſecunda fuit;
*Hinc quoque * Miltoni deductum Nobile Carmen,*
Atque Paradiſi Forma Reſumpta ſui.
Hìc Muſæ ſpatiantur adhuc, hìc Vivere gaudent,
Quas Filicaia ſuis detinet æſque modis;

* Celebris poeta apud Anglos, ſub eo nomine, E. V Valler., Defuncti Pater.

* J. Miltonus, auctor Carminis Epici, apud Anglos, cui Titulus, Paradiſus amiſſus. Uterque olim Floretiæ erant.

Seu lætus COSMI *memorat Paciſque Triumphos,*
Corſinumve Lyra ſeu vetat ille Mori:
Aulæ Corſinum triſtem Patriæque decorem,
Quem jactat Pallas, jactat Apollo ſuum:
Eccho adſtat mærens, repetens ac verba dolentis,
Et repetent dulces ſecla futura ſonos.
Hìc quoque fortè mihi venienti ſacra recludent,
Non illæ immites, hoſpitibuſque feræ:
Heu Decus ille meum, Luctuſque Valerius, ingens!
Si quiſquam, meruit conciliare Deas;
Veſter erat Juvenis, Veſter maturior Ævo,
Parca nec obſtiterit, Veſter & ille Senex:
Cùmque Patrem Ingenio, cur non referebat & Annis,
Seculi & alterius Gloria longa foret?
Par cecinit, * *doctæ ludens in margine Ripæ,*
Tardior, auſcultans, Iſidis unda fluit.
Materiemque æquabat Opus, ſint Fœdera quamvis,
Fortis Arauſiades, pulchra Maria, tua:
.....
.....
.....
.....
Et placet, atque decet, primos dare Verſibus annos,
Pieriis ætas convenit iſta modis;
Virginei Muſis habitus, imberbis Apollo,
Et niveæ nunquam, deciduæque Comæ:
Nec tamen hæc unquam patiuntur ſacra Senectam,

Te-

* Epithalamium oxonii ab ipſo ſcriptum in nuptias Gulielmi & Mariæ Principum.

Teſtis & antè Parens, & Filicaia meus.
Majus at urget Opus, Dominam devectus in Urbem,
Imperiumque Fori, Lingua diſerta dedit:
Pro libitu, ſolers, animorum flectit habenas,
Quàque velit, Judex ducitur ipſe, via:
Sed non à vero divertit tramite mentes,
Certa ſalus miſeris, terror at uſque malis:
Nunc commißa Dolent, metuunt laudantque loquentem,
Et cupiunt, pridem non licuiſſe ſibi.
Copia Romana, & Vis Attica, cernitur unà,
Quam felix dotes junxerat ille duas?
Plena olim, populum capiunt ſubſellia rarum,
Nec reddit ſolitos mæſta Corona Sonos:
Digna loqui, quin ora ſilent, mutumque Tribunal,
Quam meliùs noſtras geßerat ille vices?
In Patriam ipſe redux, quem tunc mea Fata docebo,
Hoſpiti ut uſque favens, Itala terra fuit?
Quantis Aula Viris Cœlo ſe tollit Etruſca,
Quamque canit Vates plurimus acta Virum:
Non palmam certans Academia cedat Athenis,
Pondera quà Rerum, quà quoque Verba nitent;
Haud penes arbitrium Vulgi, ſtat norma loquendi,
Par ſibi, ſed purus, perpetuuſque tenor!
Quam Genio exuperans Magalottius omnia præſtat,
Sommerumque ſuum Mundus & alter habet?
Hos ſaltem bona ſors longum mihi ſervet in ævum,
Sitque ſatis Stephanum me doluiſſe ſemel!

Cujus Amor Vivi ſemper creſcebat in horas,
Creſcit ut inque horas jam Dolor uſque mihi:
Ah fugis amplexus, noſtræ & commercia linguæ,
Nec referet ſenſus culta tabella tuos!
Nunc & Etruſca mihi ſpectatur ut extera tellus,
Nec tam Legatus, quam tuus Exul ero.
Te patrius Tameſis, non ſolùm flebit ademptum,
Gentis &, Oceano triſtia damna feret;
Sed Mare Tyrrhenum, ſed noſtro latior Orbis,
Nec pompas curans, Tibridis unda fluet:
Cùm Latias tantùm voces, callebat & Artes,
Nil mirum, Civem ſi putet eſſe ſuum.

INSCRIPTUM STATUÆ LEOPOLDI CARDINALIS, IN CAMERA PICTORUM, FLORENTIÆ.

Leopoldo ab Etruria Cardinali.
Numiſmatum. Tabularum. Signorum. Gemmarum.
Omnium denique Deliciarum.
Eruditæ Antiquitatis.
Vindici. Arbitroque.
Inter hæc Ipſius Monumenta.
Verè Regia.
Vivos ac ſpirantes quaſi Vultus.
Pictorum Toto Orbe Celebriorum.
Propria Manu Æternitati conſecratos.

Pa-

Patruo de ſe ; de Civibus.
Deque Poſteris. Optime Merito.
COSMUS III. M. Etruriæ Dux. Memor. Gratuſque.
Suum quoque. Uti par erat. Locum dedit.

Hìc Leopoldus adhuc, Statua non dignior alter,
Nec ſtetit ulla priùs nobiliore Loco.

In Filicaiam Senatorem Vatemque.

Æmulus hìc Veterum, & Victor, Filicaia quieſcit;
Carmine nec minor his, & pietate prior.

AD ACADEMIAM, ante Encænia Filicaiana.

NOndum certa Dies, & vix dilucula cernas,
Umbram ac lucem inter qui modò carpis iter;
Terra levis, ſerves pauliſper jura Sepulchri,
Nos tenues, tantùm florea ſerta, damus:
Ferte Roſas, Hyemis quæ munera ſemper Etruſcæ,
Et Doleas Dominum nunc Mogarine, tuum:
Pallor in ore ſedet, jam ceſſit gloria frontis,
Vix onus atque ferunt languida membra ſuum:
Ver blandum properes, ingens, Academia, Bellum
Deſtinat, & turmas explicat illa ſuas:
Inque hoſtem furiis conſurgit Etruria juſtis,

Ar-

Armata raptas res repetitque manu:
Signa canunt, trepidans acieque Oblivio cedit,
Ipſaque Mors, fida jam comite orba, fugit:
Lætior, ac ſolito major Filicaia recurrit,
Atque nitet purus, ſed ſine nocte dies.

IN SIMULACRUM
BENEDICTI AVERANII.

VIventis mores Benedicti præſtat Imago,
Marmore ſic Vivit, ſic ſimul ille Tacet;
Pro quo, ſed præſens ætas, & ſera loquetur;
Cùm ſpiret chartis ipſa Siäda ſuis.

ODE
IN MEMORIAM SENATORIS
VINCENTII DE FILICAIA.

CRedidit ſemper pia turba Vatum,
Alterum manes agitare ſeclum;
Quæque ſpirantes Decuere pridem,
Grata redire:
Sic modò Terras Filicaia linquens,
Priſtinam Cœlos Patriam Reverſus;
Cœlitum laudes renovat, ſuaſque,
Carmina fundens:

Ceſ-

Ceſſimus quondam numeris ſodales,
Menſque per Stellas ſpatiata; jamque
Ætheris Cives rapit, & Beatis
Gaudia creſcunt.
Concinunt voci, ſua plectra Tuſcæ,
Auris & Cœlum una fit, æmulantes
Suavè concertant Lyra dum Sionis,
Ac olor Arni.
Sola ſed lis quam benè, dulcis illa!
Maximum Mundi celebrent parentem;
Hìc Quies, & perpetuis Triumphis
Plaudit Olympus.
Diſtat oh quantum ſtatus ille noſtro?
Quos fugit Pax, & Pudor, atque Rectum,
Jura quod pejus, Reditumque nobis,
Spreta recuſant.
Nec quidem Coſmus poterit vel Ipſe,
Moribus formare ſuis ſceleſtos;
Vixque fulcire, Imperii labantis,
Anna ruinas.

.....

. .....

.....

.....

.....

.....

.....

Arnus, en Aras, Tameſiſque ponunt;
Victima verſuque, coleris, ore,
Seu Quiritum, poſcimur, aut Etruſco,
Noſter Horati!

CARMEN LAPIDARIUM,

SIVE INSCRIPTIO IN SANAM ASTRO-METEOROLOGIAM

JOHANNIS GOAD,

Cum ab ipſo Liber, Die ejus Natali, M. Duci mitteretur.

Bibliothecæ Mediceæ.
Veteris æmulæ Palatinæ.
Quæ COSMI III. *Magni Ducis Etruriæ.*
Sui Sæculi Auguſti.
Curæ & Deliciæ.
Hanc Philoſophiam Cœleſtem.
Rem diu Deſideratam, Deſperatam pænè.
Sanam Aſtrologiam.
Quà mirantibus patet.
Quale quantumque intercedat Commercium.
Superos inter. Orbemque Noſtrum.
Utque hujus Pars Univerſi.
Non admodum Ignobilis. Aut Iners.
Per Vices agimur.. Agimuſque.

In-

Incognitis antea quidem. At nunc notis fundatam Principiis.
Novam. Sed & Antiquiſſimam.
Quippe quæ cum Rerum Natura inceperit.
Cum Natura Rerum demum Duratura eſt.
Præteritorum Memoriam.
Statum Præſentium.
Futurorum Vaticinium.
Nec tam Vaticinium. Quam veluti Hiſtoriam.
Complectentem.
Edoardi VVapelii Angli.
Amici ſui.
Qui pietate in Magiſtrum ductus.
Cui Ars illa. Sua ſaltem debet Initia.
Et quantum Poſteritas omnis debebit?
Sub alieno Nomine prodire. Et Latere voluit.
Docere. Non Noſci. Contentus.
ET PRODESSE. QUAM CONSPICI.
Reconditis Literis. Candore Morum. Studio juvandi poſteros
Viri inſignis.
Nunc apud Populares ſuos Intellecti tantùm.
Olim omnibus Nominandi. Ab omnibus Celebrandi.
Opus.
Sede tali. Tali Conſortio. Dignum.
Henricus de Nova Villa.
Annæ M. Britanniæ Reginæ.
Clementis. Felicis.
Patriæ. Senatus. Caſtrorumque. Matris.

Anno à Partu Virginis MDCCV.
Ad Sereniſſimum. Optimumque Principem.
Sapientia. Moribus. Vita verè Philoſophum.
Difficillimis etiam Reipublicæ Temporibus.
Alterum Antoninum.
Sed Chriſtianum.
Ablegatus.
Decimo nono Kal. Septembris.
Die ejus Natali.
Civibus. Exteriſque læto.
Sua in Florentia. Urbium Pulcherrima.
Nunc illi primum Culto. Semper. Et alibi colendo.
Lubentèr. Meritò. Humillimè.
Offert. Dedicatque.

IN SANAM ASTRO-METEOROLOGIAM

JOHANNIS GOAD

ANGLI.

Romam iv. Id. Mart. 1708. tranſmiſſam.

AD LIBRUM.

NON opus, ipſe, meum, dulcis ſed cura, Libelle;
Urbs quà æterna viget, me duce, carpe viam:
Quæque triumphatis aliquando ſuperba Britannis,
Te numeret Palmas inter & illa ſuas:
Capta ſed ut veterem jamdudum Græcia cepit,
Tu Romam capias, Artibus ipſe Novam:
Naturæ Interpres, Terram Cœloſque recludes;
Quem nexum, ac Vires, quilibet Orbis habet.
Omnia conſpirant, nihil eſt in rebus Inane;
Perque Vices agimur Nos, agimuſque ſimul.
Julius ut certum Mundo monſtraverit Annum;
Munera cunctorum, Temperiemque dabis:
Tot cœlum inficiant cur nubes, lugeat Æther;
Heu blandita nimis tempora temporibus!
Effuſum anticipans Tibrim, tu conſulis Urbi;
Felix Clementis cura ſit illa ſui:
Forſitan hinc Docti ſubiturus Principis ora,
Atque illo ſaltem Nomine, Gratus eris.

IN VILLAM IMPERATORIS HADRIANI.

TEmpla, Theatra, Hoſpes, Circumque, & Balnea,
Delicias Hominum, Deliciaſque Deum! (ſpectas;
Hìc quoque ut in mediis Academia ſurgit Athenis,
Et renovat veterem, Porticus ampla Stoam:
At Murus ſoles, umbram partitur & æquus;
Utque velis, totus præterit uſque Dies:
Culmina quam variè ſplendent diſtincta Figuris,
Et ſervant Genios jam quoque læta ſuos?
Sed nova ſub terris pandit miracula moles,
Junonis, Forma dum ſibi plaudit, ales:
Singula, cur numeras? oculis ſubjecta recenſes,
Quicquid Opum Romæ, quicquid & Artis erat:
Ingenio Cæſar Mundum complexus & ore,
Intra Tecta videt, quicquid ubique placet:
Sed quæ miraris, Villæ ſunt Rudera tantùm;
Paucula quin ſuperant, plurima Terra tegit:
Qualis Roma fuit, Romam quæſi veris extra;
Unius atque Domus ſola Ruina docet!

IN

IN VALLEM UMBROSAM ETRUSCORUM.

ELEGIA. 1708.

VAlles perpetua, virides atque arbore, montes;
Lenè & labentis murmura ſubtèr aquæ:
At feſſis vivo paſſimque ſedilia ſaxo,
Quæque valent primas Antra referre Domos:
Exarmatque Canem, quà blandior aura furentem;
Iras manſuetus dedidicitque Leo:
Excipitis fugientem Aulæque Urbiſque calores,
Nocte datis ſomnos, & ſine Lite Dies.
Cedat & ex oculis paulùm Florentia noſtris,
Quæque mihi & Muſis ſemper amica cohors:
Omnia viſa priùs ſordent, juvat ire per alta,
Et Cœlo atque Animo liberiore frui.
Nunc Natura patet, nobiſque vacare licebit;
Quæ ſuperi & poſcant, noſcere, nota ſequi.
Nec deerunt Comites, neque ſunt vel inhoſpita ſaxa;
Moribus, & Ruris non niſi Nomen ineſt:
Nil ſibi ſeponit, nec inutilis ulla ſupellex;
Gens contenta ſuis quæ fuit uſque bonis.
Accipitur Cultu Dives, relevantur Egeni;
Utque Æther, cunctis, hæc quoque porta patet:
Sed Studiis Veri, ſacriſque operata juventus;
Pectora nec ficto quæ caluere Deo.

Dux

Abbas Columbinus.

Dux gregis & ſancti, qualem vix Vota dedere;
Gualbertum credas jam rediiſſe ſuis.
Lumina non alibi meliùs ſpectacula paſcunt,
Quid ſit & hinc diſcas vivere, quidque Mori!

AD ARCADAS ROMANOS.

ÆLia Villa priùs, numeris renovata Latinis,
Umbroſæ Vallis Deliciæque Sacræ:
Contracto quondam quà Princeps Orbe potitus,
Pro nihilo at totum quem Pia turba putat:
Audiit, & nugis indulſerat Hoſpitis Arnus,
Quin Famam oſtentat, Romulidumque domos:
Voſque aditus faciles, Superumque accedere menſis,
Vos Decus, Argeſtes, quod vocor ipſe, datis.
Vatibus at Latiis titulum ſi Græcia præſtet,
Ut ſervent Artes, Dii voluere, ſuas.
Hìc Antra, & Lucus, potataque Lympha Camœnis;
Hinc Populis Leges, Carmina & inde fluunt.
Verùm parce Arcas, Domini nunc Incola Montis,
Si refugit Tuſcos, conſcia Muſa, modos:
Civibus Urbs Sermone novo ſit Culta, Britanno,
Sed Veteri, Veterem commemoraſſe, ſatis.

In-

Inſcriptum Novo Teſtamento Græco Mylano.

PArs quæ, Sommeri pluteorum nobilis antè,
Læta inter COSMI *jam numeratur opes.*
Munere quam dignus Princeps, quam Principe Munus?
Præcipit hoc Vitam, Moribus ille refert!

Ex Anglico, de Flumine Tameſi.

DIi dederint, Carmen, Tameſis decurrat adinſtar,
Ingens, inque Exemplum, cederet Argumentum!
Perſpicuuſque, Altus; Lenis, non Languidus; hìc Vis,
Nec Rabies; plenuſque, ſuis ſe continet undis.

IN

IN EFFIGIEM DOMINI
D. JOHANNIS SOMERS,
AB EQUITE G. KNELLER DEPICTAM, APUD M. ETRURIÆ DUCEM.

Ore Süada ſedet, mitis Sapientia vultu,
Knelleri, haud Opus eſt, Ipſe Somerus adeſt.

SCAZONTES.

LUbens, Manumque Artemque, noſco, Knelleri,
Qui pingit Ora, pingit ac ſimul Mores:
Ut Vultus, Indolem Gerentis, exæquat?
Imago, vivit! Non eam loqui ſentis?
Oculoſque præfers Auribus, ſtupens, Hoſpes!
Sapientia haud riget, ſedet ſed hìc Læta;
Sic mitis extrà, ſic idem refert intùs:
Benè ingenium habitat Viro! Fides, Fronti,
Jam maxima; videtur bonus, bonus quin eſt.

AD PICTOREM.

En ſurgit dicturus! Mirum quod tacet, inquis;
Naturæ haud eſt, o, ſtulte, ſed artis opus!

Flo-

FLORENTIA,
AD ANNAM M. BRITANNIÆ REGINAM.
AB AMICO.

MIraris forſan mærentem Carmine Floram,
Prolis & officium jam ſubiiſſe ſuæ:
Arnus at hinc exit, Muſis gratiſſimus amnis,
Iſidis atque tuis nunc benè junctus aquis.
Inde precor, ſacras inclines queſtibus aures,
Numina quis neſcit flectere poſſe preces?
Hìc Novavilla lares, gratus jam fixerat Hoſpes,
Lætus præſenti tempora læta tulit.
Oro, ſiſte virum, Tameſis Regina potentis,
Ne citus in Patriam tranſeat, una potes:
Undique Bella ſtrepunt, Muſis & inhoſpita Caſtra;
Mites ille Artes, quæ mea ſacra, colit:
Anna geras bellum, lætatur Etruria pace,
Ah maneat Pacis qui mihi pignus erit!

NEMORA FLORENTINA.

ELEGIA. 1709.

Elegia, in mortem Stephani VValler Advocati.

OH Sylva, ingentis noſtri modò conſcia luctus,
Quàque fluis, lachrymis auctior Arne meis?
Vos iterum repeto, non deflens funus Amici,
Me miſerum! ingenii at funera certa mei!
Tunc ſeſe pinus inclinavere Dolenti,
Et viſa eſt ſolitò triſtior Umbra loci:

Carmen, cui titulus, Vaticiniũ.

Murmura nunc ſomnos præbebant Numine plenos,
Quum mens prævertit Sæcla futura vigil:
Ante oculos Annæ Imperium, Gentiſque Triumphi,
Commiſſa & Patriæ, publica Fata, meæ.
Murmura dant alibi ſomnos, dat Sylva Receſſum,
Sed fugiunt Numeri, mens nihil antè videt;
Phœbus at hìc habitat, notiſque advolvimur aris,
Tum loquimur verbis, enthea turba, tuis;
Jam novus ardor agit, cognata reviſimus aſtra,
Et vix mortales fundimus ore ſonos!
Fortè ita, quæ luſi vacuus, neque tota peribunt,
Dariſci haud aliàs falſa Camœna fuit;

Canonicus Mozzi.

Ille ciet Nymphas, præſens ſe ſiſtit Apollo,
Noſtraque, ſi qua fides, tunc placuere Choro:

Argeſtes Melichius, auctori apud Arcadas nomen.

„ *Hìc meus Argeſtes cecinit, procul ite profani,*
„ *Carminibus ſacer eſt jam locus iſte ſuis.*

Hìc

Hìc ego Lindori recito quoque Carmina Muſis,
Carmina materie jam magè læta, ſuæ:
Angligenum Nectar, ſic pocula noſtra celebrat,
Haud alia ut Muſæ, Phœbus & ipſe bibat.
Sed cùm Cœleſtem reſerat mirantibus Orbem,
Miltonique comes, nobile ſurgit opus;
Tum Superum redeunt acies, atque acta Deorum;
Reſque ſimul Superum, Verba, Modoſque, legunt.
Te ſequar abſentem, diviſus ab Orbe Britannus,
Melichii nec ſis immemor ipſe tui!
Doctus Ariſtæus, renovat dum voce Lycæum,
Vix ſenſi ſoles præteriiſſe mibi:
Fortis at Eloquio, qui dat præcepta loquendi;
Et format Vates, nec minor ipſe canit.
Quæ Rerum Vires, Ordo quis, ut Ambra recenſet;
Officia ut Vitæ, Bardius arte notat?
Civica, par Fratri, modò publica Jura, Joſephus,
Qui jam Piſanæ maxima fama togæ?
Utque Decus Venetum, ſancto ſermone, Quirinus,
Alterius Mundi pandere geſtit opes?
Utile ſic Dulci, miſcenti tempora currunt;
Cunctaque quæ proſint, ſic habuere vices:
Jucundas Angli latebras Procereſque frequentant,
Communiſque juvat quam meminiſſe ſoli?
Non æſtas torret, ſed gramina læta renident,
Atque viror, noſtris qualis ineſſe ſolet:
Nunc grati comites Libri, nunc ſolus oberro,

Comes Magalotti.

Sidro.

Paradiſus amiſſus, Miltoni.

Ant. M. Salvini Gr. L. Prof. Florentiæ.

Vinc. Ambra Phil. & Math.

Joſephus Averani J.C.Pr. Piſis

Reſque moleſta ſatis, ſe potuiſſe pati!
Captos Aula tenet, vel garrula turba, Puellæ;
Is malè perdit Opes, pejus at ille parat;
Nulla Dies ſincera fluit, vix vivitur horis,
Me ſaltem his liceat conciliare mihi!
Quò me dulcè trahit Lucus, quo detinet uſque,
Umbris ut videar ſemper adeſſe ſuis?
Non Hyemis rabies, non Tempus carpet honores,
Muſarum manibus conſita Sylva fuit:
Hìc Filicaia Canens velabat tempora ramis,
Benedictus Averani Eloq. Pr. Piſis. *Formaſti & voces, hìc, Averane, tuas:*
Ut cùm Gaza latet, terris defoſſa, feruntur,
Et manes, ſolitas ire, redire vias;
Sic veteres animo curæ, vetereſque recurſant
Deliciæ, & propriis paſcitur ille malis!
Hinc Senis, inde redux, ædes devector, Oëi,
Ant. Magliabecchi. *Non magis Ingeniis, Tuſca vel Aula nitet:*
Quid malè ſanus opem Librorum conſulis, unum
Pro cunctis ſatis eſt conſuluiſſe Virum!
Oh quantum hìc Decorum, Vivendi & Commoda Vera,
Seu Mores, Artis ſeu Monumenta velis?
Quam felix Regio, Cœli Genioque Solique?
Aura tepens, Studiis cedit at Aura ſuis?
Nonne Stupes tantos Mentis manuumque labores,
Seu viſa eſt Veterum, ſeu tibi cura recens?
Non nova Roma magis, non Græcia jactet alumnos,
Quos cupiat omnis ~~tellus~~ tallus, habere ſibi:

Ite

Ite leves populi, populi faſtuque tumentes;
Moribus hìc conſtans, hìc faciliſque Vir eſt;
Et ſapere, & Fari, dedit indulgentia Divum;
Senſus corde graves, ſuavius ore melos!
Si licet Auſonia traducere lenitèr ævum,
Non mihi Vita brevis, Vita bis acta foret.
Invitus, Teſtor, dilectis abſtrahor oris;
Optat quiſque diu, quæ placuere, frui;
Sed revocat Tameſis, Dominæ ſed juſſa potentis;
Curaque, cum veteri jam ſubeunda nova;
Et patienda Fori rurſus fòrs jurgia rauci,
Tyrrheno pridem quam benè merſa Mari?
Jamque valete Dies læti, carique Sodales;
Nomina perpetuò culta, colenda mihi?
Orbe remota Italo, fruſtrà cur gaudia quæram?
Perdita non reddet, mens licet uſque memor!
Si Sileam, dulcis capiantque oblivia Cantus;
Non nunc Roma tenet, nec mea Flora ſuum!

10352261

10352261

CARMINA
ADOPTIVA.

AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM

D. HENRICUM
DE NOVA VILLA

ABLEGATUM FLORENTIÆ BRITANNICUM.

HÌC ubi ſe lentis diffundit greſſibus Arnus,
Cognatum ut repetat tardiùs unda Mare;
Inclytus effulges Thuſcis Henricus in Oris,
Splendor, & occidui Gloria magna Poli:
Aſpice ut attonito conſurgant Vertice montes;
Atque hilaris plaudat clara Liburna Tibi.
Hìc videt ex alto Puppes remeare Britannas,
Audit & ille ſaum Vela vocare ſinum.
Semina Diſſidii reprimis, jam nulla parantur
Bella, nec ultrices advehit unda rates:
Hinc inſperato læti pro munere plaudunt,
Antiquum Fœdus cui renovare datur.
Oh ſummæ Virtutis opus! Tibi, Gloria Soli,
Reddere Tyrrhenis Anglica Regna vadis:
Se Tibi Pars Terræ, Tibi ſe tota Æquora debent;
Impleſti meritis Solis utramque Domum:
Vive igitur charus Thuſco, pariterque Britanno,
Et celebret laudes Littus utrumque tuas.

Alexander Ludovicus
Catelanus Marchio.

EPISTOLA AB EODEM.

OPtat Alexander tibi gratam Henrice ſalutem,
Quam de Tyrrhenis Carmine mittit aquis:
Si me ſors veſtris potuit diſiungere terris,
Fœdere non valuit me removere tuo:
Quin ego ſi multùm, quibus es regionibus abſum,
Scribendo lætor proximus eſſe tibi:
At queror & doleo, properè dimiſſa Liburno,
Venerit in veſtras Littera ſera manus:
Tanta ſed hìc rerum moles ſtrepituſque mearum,
Vix licet, ut cupido, reddere verba, mihi:
Quumque agitant noſtram tam multa negotia mentem,
Parce precor curis, denique parce moræ:
Oh ſi quid poſſim præſtare in partibus iſtis,
Quam vellem juſſis lætus adeße tuis:
Hoc, tua ſic virtus augetur in Orbe, Britanna
Sic Gens, & genium vincit amore meum:
Omnibus invideo, qui raro munere ſortis,
Colloquiis ducunt tempora cuncta ſuis!
Hæc nimis eſt animi felicis, & una voluptas,
Ut te, cum Doctis fallere poſſe dies.
Non minùs Ingeniis, quam præſtans Anglia Marte,
Ut benè Te jactat progenuiſſe ſuum?
Nec magis ipſa fuit virtutem viſa tueri,
Quam data cùm meritis præmia digna tuis:

Ac

Ac niſi ſic notum, non ad majora vocaſſet,
Haud fueris Patriæ Lauſque Decuſque forìs!
Mens tua non recipit ſapiens à munere nomen,
Id pretium meritis, indiciumque fuit:
Quam bonus es cunctis, Aulæque mereris amorem,
COSMUS ubi Populis imperat, atque ſibi?
Laudibus exornant te Cives, omnibus idem
Laudandique tui nominis ardor ineſt:
Non habet unde ſuos diſcordia protrahat ignes,
Diſſidiumve Aulas inter utraſque ſerat:
Has Tu concilias, & primo jungis amore,
Pacis ſunt Artes, Juraque nota Tibi:
Priſtina ſic reſeras Commercia Gentibus, aufers
Et nubem, qua mens Regia tecta fuit:
Concilias Italis, Anglos, Dominamque Profundi,
Atque ſimul Pacem, Præſidiumque paras:
Fœdere dum rurſus miteſcunt omnia priſco,
Hunc Populum, Cives tu facis eſſe tuos:
Hoc Decus egregium, nullo violabile ſeclo;
Quà ſemper ſuperes, commoda noſtra dabunt:
Vel COSMUS ſummo te complectetur amore,
Et dabit, & laudes audiet ille tuas:
COSMUS Deliciæ, Gentiſque ſuperbia COSMUS,
Qui format Cives moribus ipſe ſuis:
Hinc Æqui generatus Amor, quo Fama paratur,
Quæ magnis Merces unica digna viris:
Tuſcis vix nomen Veiis, periere Ruinæ;

Quoſque tegant cineres, nec Monumenta docent.
Facta manu Artificum, nobis quam pauca ſuperſunt?
Temporis, Urbinas ſentiet Ipſe, Minas!
Sed quanti Laus eſt, & Vitæ Fama ſuperſtes?
Poſthuma crede mihi, Te quoque Fama manet.
Non nunc in Patriis ſolùm Tibi nomen in oris,
Quin nobis charus, clarior indè domi.
Jam reſer Auſoniæ ut Mores, & videris Urbes;
Ut calles Italo verba reducta ſono:
Artibus ut præſtat tellus, & ſufficit illa
Pabula Doctrinæ ſuppeditare tuæ:
Tu Maliabechum noſti, Tu noſceris illi,
Unus qui doctis Bibliotheca Vir eſt:
Te Populi excipient animis concordibus omnes,
Artes quem doctæ, quem comitata Quies:
Vive diu felix, ſiquidem ſic vivere dignus;
Numina ſint votis non inimica meis.

ELEGIA.

MItto novamque Tibi, optatamque, Henrice, ſalutem,
Mittere ſi quis rem, qua caret ipſe, valet.
Longus enim morbo vitiatum corpus acuto
Non patitur vires languor habere ſuas:
Nunc dolor omnis abeſt, febribus non uror anhelis,
At pænè elumbis redditus Iſchiade.
Inde etiam ſtudiis nimiùm quoque fræna remiſi,

Du-

Ducitur & digitis littera rara meis:
Tu tamen exoptas, interque negotia, verſus;
Et legis, & lectos ore favente probas:
Carmina prima, Tibi, memorem præſtantia curam,
Accipe, ſed Domini non ea ſcripta manu:
Claudam cernis Muſam, eſt claudus & ipſe Poeta,
Quid mirum ſerò ſi tibi Muſa venit?
Muſarum in Cultu tempus conſumere dulce eſt,
Caſtalidum at Lymphas Pharmaca amara vetant.
Pectora quin mea ſunt longo laxata dolore,
Et carmen vena pauperiore fluit:
Carmina qui mittat, frondes velit addere Sylvis,
Carmina, non Munus, quæ Tibi nata Domi.
Fertilis eſt Tibi mens, interque Helicona colentes,
Uberius nulli provenit iſta ſeges.
Te noſtra eſt mirata, ſequens mirabitur ætas,
Ibit & in plauſus Orbis ubique tuos.
Tale erat Ingenium quis Roma & Græcia Mater,
Sic loquitur Cicero, ſic canit ipſe Maro.
Floræ Docta Cohors recitantis perdet ab Ore,
Solicita varios & bibit aure modos.
Nil Tibi tam lætum, noſtras quam dicere laudes;
Nec nobis, laudes quam celebrare tuas.
Detero, ſed repetens, humili præconia voce;
Quantum Argumento jam leve cedet Opus?
Anglia Te genuit, nunc Hoſpite gaudet Etruſcus;
Illa ſuum agnoſcit, noſter es baudque minùs.

Te,

Te, COSMO, Eloquium, Pietas, Prudentia, Mores,
Præ cunctis gratum reddere ſæpè ſolent.
Te vocat hìc Secli Decus admirabile noſtri,
Inque ſua nemo clarior Urbe fuit:
Aſſuetaque Tibi doctæ dulcedine linguæ,
Orator certè Principe dignus eras:
Sic Animos Lenis, loqueris ſic Grandia, grandè;
Eloquio & tantum nobilitatis ineſt.
Tyrrhena obſequimur meritis Gens, Doctior illa,
Terra ſub alterutro vix jacet ulla Polo:
Hinc Tibi gratatur Populus, totamque per Urbem,
Henricus vivat, vivat, ubique ſonat.
Cùm Mentem Superi dederint, ſic cætera donent;
Vitaque ſit felix, & Tibi Vita diu.

Addictiſſimus Servus
Alexander Aloyſius Catelani &c.

VIN-

VINCENTII DE FILICAIA
SENATORIS FLORENTINI,
ODE
DE MOGARINO.

AGE, Hymetti bona Civis, bona & Hyblæ
Apis Hoſpes, cata florum viride agmen
Agitare ingenioſo tenuis verbere linguæ:
Age, amico preme labro, ſibi adoptat
Modò quos Anglica Tellus Mogarinos, (*Villa.*
Lyrica & quos aqua inundant Somer hinc, hinc Nova
Lachryma exin mage cdorum nabathæa
Strue nectar, neque cura ſine multa
Mihi ſuccis generoſum ſapidis imbue Carmen.
Humilis grandia tento. Canere hos nam
Volo flores, Opus ingens Venuſina
Ferè tantùm lyra, & una ferè dignum Jovis aure.
Patre quo ſint geniti an te latet? Audi,
Rogo, rem prodigioſam. Pater illis
Mogarinus, celebrem qui ſtetit Arni prope ripam,
Sceletuſque Oceanum ultra peregrè ivit
Animæ impos, gemina informe cadaver
Animavit lyra donec fidium vi magicarum.
Nova ſed jam ſpecies te rapit, alas

Et

Et amantes ligat. Eia merulæ iſtud
Tibi dono; at labio dein bibulo ſuge medullam.
Quid enim de frutice Anglo loquar, Anglo
Sine melle! haud aliter lucem oculi optant,
Neque lucem genuina ſine luce aſpicere audent.
Chlamyde alta hic fruticum Heros Corypheus
Tegit artus, pluviæque, & ſola, & auræ,
Chariteſque, & Veneres illum adamant, olfaciuntque.
Cypriis ver quis in hortis modò quærat?
Sibi totum penitus vindicat ille
Speciem prorſus in omnem genitus, mollitiemque.
Mogarino at muliebres fore ſenſus
Cave credas. Fieri alter prope cœpit,
Bibere Anglos ut aperto didicit gutture ſoles.
Ea nam cui citrà, & ultrà freta celſi
Vice valli, vice ſunt excubiarum:
Ea Marti ſacra, nec non Cytherææ ſacra tellus,
Bona quam Pallas, & omnes Aracinthi
Quoque Divæ ſibi ſedem ſtatuerunt:
Ea certe in Mogarino ſua ſenſa ingeneravit.
Viden, ut Rex fluviorum Thameſis jam
Placidæ illud petat ictu alluvionis,
Alat inde, augeat, ornet pretioſæ ubere limphæ?
Patro nunc ſplendida ego furta, Britannos
Amo & hìc aſſuere hymnos meæ Opellæ,
Cano dum de Thameſi Anglus cecinit quæ modo Vates.
Ibi amator ſui Ephebus neque ſeſe

Videat, flos neque fiat, ſed apertum
Oculos obice nullo jaciat pronus in alueum.
Rapidè amnis, placiaèque it, rabiemque
Citra, & iram validus, prætumiduſque
Sata nunquam temerè haurit, neque ſpes agricolarum.
Patris immo Oceani Cor, & ocellus
Maris inſons quaſi prædo, Indiam utranque
Rapit, atque indigenas jam ſibi terras facit omnes.
Humi, & undæ vide lac ut generoſum
Bibat hic flos, capite alto, & ſibi plaudens
Latice uncta Idalio ſerta, Gynæceaque temnat!
Vide, ut hìc de ditione, Imperioque
Quaſi certans, Hyacintho ambitioſa,
Roſæ & albæ, atque liguſtris amet indicere bella!
Propera, ergo. Mogarini lita melle
Simul ac labra ego pandam, propè Phœbo
Ero par, fundet & undas mihi cunctas Aganippe.
Ego tunc de gemini Orbis loquar ortu,
Populo ingens datus omni, datus uni
Minor Anglo, mage pulcher dubiumque alter, an alter.
Neque non Marte Britanno freta operta,
Celebres Naumachiaſque, & nova fata
Canam, ovanti volitantes dederunt quæ Thameſi arces.
Rea voti ſi mea mens erit, aram
Helicone hìc in Etruſco tibi ponam;
Peracutum & mihi cuſpis tua poſthac erit oeſtrum.

EJUSDEM
ODE
DE MOGARINO
AD HENRICUM
DE NOVA VILLA.

NEC lingua ingenua, nec amica dulcius aure,
Henrice, quicquam Dii dedere: Fabor
Jam teſtis, Judex, accuſatorque, reuſque:
Audacior quis me eſt homo? Somerum,
Teque Angli Atlantes Pindi, longe impare nuper
Injurius Laudator arte læſi.
Mox famæ illicio ſuadente, haud viribus æquis,
Meique pravus æſtimator, (ingens
Sanè opus) Heroi Hortorum, Fruticumque Dynaſtæ
Sum plaudere auſus. Unico an metro? Haud jam
Accitum omne metri penè eſt genus, Aonioque
De promptuario modi ferè omnes
Educti temerè. Vectum quoque remige verſu
Britannum ad Orbem Floris eſt cadaver,
Te modulante, dein revireſcere, germini & omni,
Miraculo eſſe, floſculiſque juſſum.
At levia hæc forſan, multumque audere Poetas,

Agna-

Agnata laudi eſt culpa, ſi modus ſit.
Quis verò illud atrox, & inexcuſabile Crimen
Ferat? puſilla mene ſponte avena,
Illam, tergemini ſpem Regni, Altamque Britannæ
Felicitatis Obſidem; Novæ illam
Pallada Præſidium Trojæ, quæ grande vibrat jam
Fulmen, geritque nunc vicem Tonantis,
Concelebrare auſum? regali ac texere fronti,
Molle, inter arma, floreumque ſertum?
Deliqui, & magnum Sceptro, magnumque Poeſi
Vulnus latinæ inflixi; At ipſa pœnas
Exigat Euterpe, Patiar: Quid ſi exigat Anna,
Quid Regium vocatus ad Tribunal,
Ore metum prodente, adigar ſi dicere cauſam?
Te per tuas, Henrice, non Viri berclè,
Unius, & ſecli dotes non unius: Orbi
Per Angliam te haud imparem, per Annæ
Majorem Imperio, factamque ad grandia mentem,
Pone obſecro, te, Regiam inter iram,
Erroriſque meos. Noſti, ſub paupere Numen
Coli æde, Plantæ ac fumulum Sabeæ,
Semianimem ac faculam non dedignarier. At me
Noctes, Dieſque cura mordet atrox,
Ignarum, ſitnæ hic etiam mos Regibus: Arte
Verum quid efficacius precandi eſt?
Munus ego obtentæ veniæ tibi; Tu mihi laudem
Debebis impetratæ. Apollo & unquam

Si mihi dexter erit, naturam, Exemplaque, ſeque
Tranſgreſſam, & Anglico potenter Axi
Supponentem humeros Reginam, atque aſtra tenentem,
Canam ſonantiore fortè plectro.

SENATORIS FILICAIÆ.

ODE

IN ILLUSTRISSIMUM DOMINUM

D. SOMMERS,

GENUAM TRANSMISSA;

AD EUNDEM ABLEGATUM.

VOS poſco, Muſæ, non ego ſingulas,
Volo univerſas grande ad Opus. Jugi
Biverticis vertex mihi unus
Jam patuit. Peto nunc utrumque.
Sommer canendus. Non ſine Apolline
Jam adeſtis omnes: Jam vidua ingemunt
Pimplæ arva; deſertumque ſola
Echo habitat ſine voce Pindum.
Veſtri at profectò quam modica hic ſedet
Pars! quàmve ineptè veſtra in imagine
Vos quæro! Nullæ hìc eſtis; uno

In Somero vigilatis omnes.
Matheſin illa huic; hæc Sophiam ingerit;
Suadam, Poeſinque altera; & altera
Legum recludit nunc recentum
Scrinia, nunc veterum: Urbium illa
Artem regendarum, altaque Munia,
Et Pacis, & Belli: hæc reſervare amat
Arcana Regnantum, ſagax quæ
Zelotypæ tegit umbra curæ.
Opis quid ergo? Quem re adeò in gravi
Nunc auxili expers fiet, ut invocem?
Spei fuga hinc; ſæva hinc cupido
Crux animæ miſerum undequaque
Scindunt. Agam quid? Quid modò agam peto?
Ille ille, totum qui ſibi vindicat
Parnaſſon, in ſe uno Camœnas
Ille Somer mihi ſiſtet omnes.
En te obſecro, Angli grande jubar Poli,
Ah parce Amanti de te humili ſtylo
Alta elocuturo, ac perampla;
Sitque meus tua Phœbus Icon.
Icon, medullæ vulnera ſauciæ
Qua Henricus abſens lenit, & aſperat.
Hæc majus inſpirat mihi oeſtrum,
Seque veneficio artis in me
Transfundit. Umbram cerno ego, & elevor;
Et frigida ignis prodit ab Icone,

Quo

Quo impune comburor. Quid, ipſum
Cernere ſi archetypon liceret?
Jam jam novo ardens impete, ſum potis
Referre, quam te vaſta ferè omnium
Rerum ſupra exemplum fidemque
Inſtruat, ac nitidet ſupellex.
Jovis cerèbro cui fata largiùs
Infuſa? Rauci jurgia quis Fori,
Quis Jurium enodare griphos
Vividior? Loca, tempora, uſus,
Atque acta callet quis magis? & cui
Scientiarum impervius admodùm,
Et confragoſus obvium ſe
Uſque adeo dedit Orbis unquam?
Nigreſcere æquor, quà tumet altiùs
Palam eſt. Profundum ſed tibi, & inſimul
Terſum, nitenſque, Dii dedere
Ingenium. Veneres tibi omnes,
Omneſque fandi ſunt Charites. Tonas
Tamen loquendo, pulchraque fulmina
Innubis evibras. Quid in te
Non vehemens! tibi vim ruentis
In aggerem amnis non ego comparem:
Tumultuoſi non fremitum Adriæ:
Non flamina evolventia imis
A latebris Mare: Non procellas.
Torrens in aurem ſi tuus influat,

Quæ vis, quis obiex, quodve repagulum eſt,
Quod grandis Eloquentiæ ictu
Non ferias, quatias, refringas?
Te haud finxit unum (credite Poſteri)
Natura: non mens una tibi, neque
Lingua una: Septeno diſertus
Ore ſonas, aliuſque & idem,
Semper, nec unquam diſſitus Anglico
A Sole, ſeptem fermè Idiomatum
Per oſtia intras, Nili ad inſtar,
Immodicæ Maria alta Famæ.
Sed rerum habenas neſcio traditas,
Ultrò an relictas magnificentiùs,
Mentemque, nititur cui ſpes
Imperii, & vigor, & poteſtas;
Nec hercle dicam, dicere nec ſinit
Virtus gemellæ juncta modeſtiæ,
Duplex tuæ pupilla mentis
Luce pari, parilique motu:
Immo & ſi ariſtis denſior Appulis
Seges meorum ſit modò Carminum,
Quam parva ſit? ſum pauca fatus,
Nilque utinam! ſed amor coegit.
Subducat ergo ſeſe Operi manus
Jam feſſa: Cœpti mole ſub ardui
Fatiſcere Odam, territaſque
Nonne vides trepidare chordas?

Ten-

Tentaſſe inauſum ſit ſatis. Arguet
Me poſtera Ætas? Arguat. Eluam
Crimen; tibique hucuſque geſta
Egregiè, neque non gerenda,
Hujuſque Opellæ fragmina, & ingeni
Ruina fœlix, Muſaque inefficax,
Victæque deſperatio Artis
Carmen erunt ſatis amplum, & ingens.

SENATORIS FILICAIÆ
AD EUNDEM,
ODE
DUM GENUÆ MORARETUR.

NOndum redis, Henrice? teque adhuc tenet
Liguſtici Princeps freti?
Noſtra, oro, abuti quouſque conni-ventia
Impunè perges? Hæccine
Bimeſtre poſt di-vortium reverſio
Jurata? Sic fallis Deos,
Sic Nos, quibus te, vita dulcis, hoſpite,
Inſuavis, abſente! Aucta jam
Thœbe quater, quaterque jam diſpendium
Eſt paſſa; teque Arno negas.

Bu-

Buſiris ille quis, Procuſtes quis fuit,
Moras qui amori annexuit?
Recordor heu, cùm vela ventis crederes,
Quam dura mecum prælia,
A me ipſe diſcors geſſi, Amantes ut ſolent.
Euro ante, mox Japygi,
Ut ille ferret, hic referret ut ratem,
Quot vota feci! A littore
Prora inde poſtquam ſe, meumque ab hoc ſinu
Cor abſcidit; Mariſque Deos,
Mala ne amica puppis iret alite,
Rogavi, & à fugacibus
Divulſa Terris ut carina evanuit,
Lingua ægra luminum vicem
Supplevit. Efflevere ſaxa, identidem
Clamante me: O quæ deſeris
Partem mei, Triremis, & partem vehis:
(Lædea ſic te ſydera,
Sic Diva Cipri ſervet) Henricum mihi,
Ethruriæque debitum
Bona fide intra ſexies denos, precor
Dies utrique reddito;
Diſceſſionis vulnus exinde aſperum
Spe leniebam credula;
Queſtuſque Phœbi, Cynthiæque inertiam;
Dieculas Norvegiæ,
Indoque noctes invidebam torrido.

Jam temporis quadrans, triens,
Semisque, besque jam, deunxque fluxerant.
Cura hinc oriri, & inquies,
Inde ira, quam fremente cordis in lacu
Amor procellosus ciet.
Sed ista quorsum? Parce. Nondum eras reus;
Diesque nondum venerat.
Venit. Quid heu venisse dicam? transiit,
Fugit, recessit, nuspiam est;
Angitque quadrimestre nos jejunium.
Diutinam hanc tui famem,
Quæ publicis jam latrat in præcordiis,
Nobisque, nos præter, nihil
Reliquit, expende, oro, & humani si habes
Quicquam, perhorresce, ac geme.
Spei omne planè opsonium consumpsimus:
Te quicquid affabre refert,
Ævo perenniore sive in pagina,
Sermone sive in aureo,
Nostram insuper patientiam (quid amplius
Dici potest?) Voravimus,
Auraque demum spiritu imbutas tuo
Potavimus Ligusticas.
Nil est super, quo protrahi diutiùs
Vita ægra possit ingeni;
Suique facta juris in vacua undique
Loca impetum fames facit.

Quid

Quid non mihi ora mille, qui unus omnium
Cauſas ago, proque omnibus
Dolere fidens audeo? Dicam tamen.
Mutæ Cathèdræ: inhoſpita
Lycea, Rhythmi ſemivivi: Odæ affatim
Flentes, & extrema velut
In clade, tunſæ pectus, & ſciſſæ comas:
Hinc aridæ lauri: ſolo hinc
Dejecta plectra: feriantes hinc Lyræ:
Ubique ſquallor; ipſaque
Mentis tumultuante in aluo Carmina
Concepta ſentiunt famem.
Adhuc tamen duramus; & dolor, puto,
Vitam Vicarius regit:
Ut rupe ab alta Ægeus, an reduceret
Optata puppis Theſea,
Spectaſſe fertur; an remigres, haud ſecus
Miramur edito è jugo.
Si quando, nubes icta ſole ſplenduit,
Navem putamus; & noto
Percuſſa paulum incanuere ſi vada,
Interpretamur lintea.
Spe quid magis volubile infelicium?
Ut nutat! ut minutula
Res quæque mille credulam in partes rapit!
Hæc Navis eſt; haud fallimur.
Hæc Navis eſt: en creſcit accedens. Tument

En vela noſtro ſpiritu:
Noſtra en gubernant vota rixoſum mare,
Ferociamque flaminum.
Hæc ſæpe dum garrimus, illa tranſvolat;
Speſque ipſa nos exibilat:
Henrice, quam durè angimur! miſeri parum,
Ni rideamur, an ſumus?
Amare ſi neceſſitas, plecti haud decet;
Si culpa, ſat pœnæ datum.
Actis retrò olim ſæculis Tuſco Ligur
Invidit imperium æquoris.
Hinc, inde cædes: decoloratum mare:
Hinc, inde littora oſſibus
Operta; pugnatumque pro Aris, ac Focis
Internecino prælio.
Nullum ſed Arno (ſic dii me omnes ament)
Crudelius, quam ex quo te habet,
Nullumque ſanè juſtius bellum intulit.
Ignoſco, & Urbis oſculor
Prudentiam te amantis. At ſit integrum
Jus cuique. Te ante amavimus:
Es noſter ante totus; & nullam improbus
Tranſactionem vult amor.
Adhuc moraris? publicamque tandiu
Salutem ad anchoras ligas?
Revertere: omnes, obſecro, auras excipe;
Nec tota ſi Favonius

Im-

Implerit audax vela, remos neglige:
Thirrena tecum, ſcis niſi,
Spes, fauſtitaſque navigant. Nobis refer
Nos, Tuſciæque Tuſciam.
Pro te manus jam tendimus: pro te diis
Litamus; ac tecum ſimul
Ni Muſæ abeſſent, & ni abeſſet Delius,
Propempticum non deforet.
Adde his. Tuum tantummodo ab ſerum nimis
Jurare per reditum juvat;
Abſentiæ debemus idque unum tuæ,
In te, quod à te diſſiti
Quodcunque de te cogitamus, cernimus.
Obſcura verùm hæc viſio.
Te poſcimus, tibique dicimus diem.
Adeſto. Agendum eſt legibus,
Adeſto. Profligata Patronum dabit
Quem cauſa! quis moræ color?
Ventoſne, gurgiteſque non tractabiles,
An publicum cauſabere,
Domeſticumve munus? Adverſabimur;
Tacebis, à cauſa cades.
Verùm, remigres dummodò, exarabimus
Oblivionis ſyngrapham,
Tecumque tranſigemus. Arno fauſtitas;
Honor Lyceis; priſtinum
Redibit odis robur. At ſi obſtas, cave,

Cave inquam. Acerbum nomine
Jam publico denuncio bellum tibi;
Tibi rubigo mentium;
Tibi Toeſeos: tibi eloquentiæ
Abortus imputabitur.
Occurret umbra Ethruriæ, Arnique Arbitra
Occurret Urbium Decus,
Te præter unum, nemo cui non eſt Paris;
Urbemque præferri alteram,
Se ſpernier conqueſta, vindices Deos
Læſam invocabit ob fidem,
Metuque ſomnos demet. Ipſe ferreo
Torquebere implacabilis
Noctes, dieſque conſcientiæ flagro,
Intuſque viventem aſpidem
Tortor tui circumferes. Quid ſævius
Quam literas neci dare,
Urbemque amantem perdere? haud quaquam ambige:
Res integra. Optionem habes.
Delibera. Me conſulis? te conſule.
Certè omnium ſæviſſima
Amoris eſt hoſtilitas; læſuſque amor
Nulla expiatur Victima.

EJUSDEM IAMBI

IN IDEM ARGUMENTUM.

NEceſſitas, Henrice, tam longa hæc mora
Sit ne, an voluntas, nec ſcio, nec ſi ſciam,
Fari audeam. Scientiæ non fimbrias
Dilato, nec ſum glorioſus in malis.
Cauſam moræ quid ſcruter? haud mihi ocii
Tantum. Unicè ac diutinè in moram invehor;
Moram execror, deteſtor. O tuæ huc rates
Nunquam appuliſſent, aut fuiſſet hìc tui
Saltem relicta nulla proles ingeni!
Minùs nocens tu eſſes, ego infelix minùs,
Minuſque amarem quem videre nunc vetor.
Abes quidem, cunctaris & nimis diu,
Mihique fractæ pactionis es reus.
Vide, oro, ſed quam non iniquè tecum agam.
Defenſioni, ut expiere, ſit locus:
Scribo, inquis, abſens te alloquor? ſcribis? tibi
Grator mehercle; Occidis hoc ſolatio,
Scitè, haud nego, atque amanter; occidis tamen.
Ah parce. Neſcis, cuncta penè cum ſcias,
Amare quid ſit. Sunt acutæ cuſpides,
Feſtivæ, amantes, illiceſque epiſtolæ,
Quæ lancinant latente punctiuncula,

De-

Deſiderique vulnus unguento aſperant.
His vulnerari non ego magis velim,
Quam mollicellulæ obtutibus Puellulæ,
Quæ amoris expers, atque acerbè blandulæ,
Ocellulos dum figit, imprudens ferit.
Habe tibi ergo epiſtolarum quicquid eſt.
Nolo ipſe, nolo codicum præſtigias:
Nolo notas veneficas: emortuæ
Nolo Papyri voculas, quibus nihil
Humanius certè eſt, nihilque ſævius.
Quam, per Jovem, de Amantibus meret malè,
Primus loquacem qui characterum luem,
Simulque acerbam prorogandæ abſentiæ
Invenit artem! nempè amator frigidus
Tui ſim, in umbra ſi te amare ſit ſatis.
Redde, oro, redde exemplar. exemplar peto;
Exemplar altiore voce flagito,
Reflagitoque millies. Torvè abnuis?
In jus vocabo; contumacem, & jurium
Frænos recuſantem omnium, & furem tui,
Furti arguam; ſique aſſequar, pœnæ loco,
Nunquam deinceps ipſe te dimiſero.

INSPICIENS APOLLO

ILLUSTRISSIMUM, ATQUE ERUDITISSIMUM

HENRICUM

DE NOVA VILLA

Quam humaniſſimè Apathiſtarum Carminibus aures accomodantem,

His verbis eoſdem Apathiſtas alloquitur.

ELEGIA.

QUiſquis in hoc ſacro Muſis nutritus Aſylo,
Emeritus noſtræ præmia frondis, ades;
Sume age majoremque animum, mentemque virilem,
Hæc leve nil patitur, nil mediocre dies.
Ludat Amans, ploretque Elegus, vateſque fatigent
Arma Epicos, Lyricum palma, pugilve juvent;
Sed duce me ingenium ſublime feratur, & illi
(Aſpirante Deo) det novus ardor opem.
Namque Henricus adeſt, Henricus dulce Britanni,
Et decus Imperii, Præſidiumque Togæ.
Neve ſatis tibi noſſe Virum, ſeu multa potentem
Conſilio, aut æquis moribus ingenuum;
Quam majora vigent virtutis ſemina in illo

Pectore! quotque artes vis alit una simul?
Quicquid Roma vetus, quicquid scivistis, Athenæ,
Excepit studiis mens operosa suis.
Hunc quoties vidi meditantem oracula legum,
Verbosi ambages expediisse fori!
Quin illi patuit rerum natura, quid imo
Nutrit terra sinu, quis parit humor aquas.
Regnorum ille vices veteris monumentaque famæ
Novit, & obscuris splendida signa notis.
Vox ipsa, incertum est, Graium magis, anne Quiritum
Asserat eloquium, tam benè utrumque tenet:
Interdùm nostra nec dedignatur in arte
Scribere divinis Carmina ducta modis.
Nec plura: Henricus tali comitante caterva,
Auditor cultus carmina vestra bibet.
Lingua igitur caveat; tanti namque Hospitis ora,
Dicere vel melius, sive tacere jubent.

Cerchiai.

CLYPEUS ANTIQUUS,

EX MUSÆO VVOODVVARDIANO

AD VIRUM CLARISSIMUM

HENRICUM

NEVVTON, &c.

ACcipe, dum belli videx, pacisque sequester,
Scævola seu malles, malles seu Grotius, audis,
Hunc Clypeum, tibi votivum: Tu pandere solers
Argumentum ingens; ipsos in limine Gallos,
Labentesque arces, & captæ incendia Romæ.
Parte alia missos sub iniqua lege Quirites
Cernere erit; pretium appensum, quemque adjicit hostis
Ense gravem trutinam, & sacræ ludibria lancis:
Quæ mox alma Themis, (tua cura Henrice) rependens,
Gallorum exuvias Italis adjudicat armis.
Scilicet hìc magnum referentem signa Camillum
Aspicias: ut victores dant terga, fugamque
Præcipitant! ut equis aversi, hastilia vertunt!
Stantem pro templo, & capitolia celsa tenentem
Torquatus, si fictor omiserit, ipse reponis
Dedalus, artificique absolvis mente tabellam.
Forsitan, & qualem nato Cytherea petivit,
Fatalem gestis Clypeum lustrare, novosque

Antiqua non ignarus ſub imagine caſus;
Continuò tibi erit Romæ pro Mœnibus altis
Taurinum; hoc etiam Galli obſidione tenebunt,
Et regale prement, acta teſtudine limen.
Stat contrà Eugenius, ſtat Amadeus, acer uterque
Dextra limitem agens, hic Manlius, ille Camillus,
Nec Veteris Latii immemores. At non ſua Gallos
Fata vocant; Rhodani nondum petit oſtia victor
Italus, agnoſcitve ſuum Provincia nomen.
Diis aliter viſum: quis enim illi detrahere auſit
Addiderat torquem Manli quem gloria collo,
Marſini Ducis exuvias! aut quando erit unquam
Anglia præſtanti, ceu Roma, ingrata Camillo?
Tu tamen, o decus! o gentis pars inclyta noſtræ!
(Quæ nunc Auſonios tenet haud ſine numine Portus)
Solvere corde metum, & dubia ſecludere curam
Mente jubes, Latio dum porrigit Ægida Pallas,
Ingentem Clypeum informans, haſtamque coruſcans.
Forſitan & fatis contraria fata rependis:
Seu non incaſſum pelago tonat, & gerit ingens
Tempora Navali ſerto roſtrata Shovellus.
Sive oram ad Scaldis, (terris magis omnibus unam,
Poſthabita coluit Getica quam ſede Gradivus)
Marlburium novus ambit honos, nova palma moratur;
Ter patriam ut repetat ſpoliis indutus opimis,
Tertiaque arma tuæ ſuſpendat capta Minervæ.
Hìc animis opus, Henrice, eſt, hìc arte magiſtra:

Tu

Tu divam, tu pinge; Arnum ſi propter amœnum,
Hanc colis, & natas Medicæo ſidere Muſas,
Et ſi Pompilii, ſtirpem Magalottius æquat,
Si Flaccus Filicaia renaſcitur alter & idem;
Hos cape cæptorum comites, fidibuſque Latinis
Annæ aptare para decus & res, auſpice COSMO.
Ut perteſa ſui clypeique haſtæque potentis,
(Quando hæc ſæva pio nimiùm medicina dolori)
Pacis amans victrix, tardè creſcentis Olivæ
Increpitat ſeros fœtus, ſortemque morantem
** *******************

iv. Kal. Sept. 1707.

EPISTOLA AD EUNDEM
TUNC GENUÆ AGENTEM.

QUamvis quæ virtus jampridem, & quanta voluptas
Ingenuo ſermoni, & doctis vocibus adſit,
Fortè aliquid ſenſi; meliùs tamen edocuit me
Digreſſus, Newtone, Tuus: ſic rure beato,
Nunc veterum libris, nunc rurſum orientibus ultrò
Ex re Fabellis, jucundas duximus horas,

Uti-

Utile miſcentes Dulci. Concordia felix?
Quando animum natura dedit, doctrinaque finxit,
Qualem ſæpe Tuum tacito ſub pectore dixi,
Et prodeſſe loquendo, & delectare peritum.
At noſter populus, demens & ſtultus in uno,
Dum benè quæ reliquis ſit vis & Gratia rebus
Percipit, haudquaquam hoc rectè æſtimat: improbus hercle:
Quique amat adverſis illudere partibus, error.
Alter ſe natura & divitis ubere venæ
Plus æquo Jactans, alienas reſpuit artes
Contentus propriis: verum heu! felicia fruſtra
Semina, quæque in deterius malè fida feruntur,
Si deſit cultura ſolo; ſaltem ſeges acri
Obruitur lolio, ſterilique areſcit avena.
Dulces inter enim convivas quid rude poſſit
Cecropidæ ingenium? dum ſuaviter inſtat aniles
Fabellas iterare, & nugis addere pondus,
Illepidè urbanus, mera apis ſine cuſpide: amœnos
Seu comites catulos, leporumque enarrat acumen;
Sive Aulæ ſtudioſus, amores garrit, & iras
Fœmineas; ſeu demum affectans ſeria, ponit
Imperiis morem, & quæ jam ſors Regibus inſtet
Decernit ſapiens. Videor mi audire ſonora
Heroum geſta, & Rhythmos ſine pondere euntes:
Mirè aptos vigiles ceſſatum ducere curas.
Eſt huic diverſa, at magis inconcinna graviſque
Culpa, libris fatnè quæ ſe commendat & arte,

Nil

Nil niſi priſca crepans. Horum perdocta ſupellex,
Poſſe locos veterum ſignare, & fragmina fido
Manca tenere animo. Quod cui placeat, catus idem
Inſulſoſque ſales, & cultam Grammaticorum
Munditiem laudet. Sed quis lenimen amicum
Alternis ſermonis amans, ſocium ſibi quærat
Orbilium? importunum antiqua recludere dicta;
At latet indocilem priſcorum ſpiritus & vis.
Ergo velim ſucco ſermonem, & ſanguine plenum,
Naturæ munus; quemque Ars, tanquam ſale quodam
Aſpergat, ſuavi contingens cuncta ſapore:
Altera res quoniam ſtomacum gravat, altera contrà
Irritat; nexu tamen inter ſe apta decenti,
Non hebetem guſtum, neque pabu'a præbet iniqua.
Sed quid pergam ultrà, aut tibi cur Te oſtendere conor?
Qui cernis mores hominum ſubtilis, & artes,
Unus vivorumque madeſcis ſocrate multo,
Dulce Decus Britonum: ſi quando aut civica jura
Reſpondes, varia aut antiqui temporis acta
Enarras memor; aut belli paciſque perennem
Normam aperis, Æqui pariter Juſtique ſatelles:
Seu ſtudio paulum amoto, & cura ſuper Urbem
Sepoſita, vacuus, genio & brumalibus horis
Indulgere velis; animos ſermone morari
Artifici ſolers, & tardas fallere noctes.

Ex Villa propè Urbem ineunte Anno 1707.

Johannes Freind.
PRÆ-

PRÆDA VENATU CAPTA

Ad Illuſtriſsimum Dominum, Virum Celeberrimum
Amicumque Præſtantiſſimum

Dono Miſſa.

EPIGRAMMA FESULANUM.

HÆC Venatricis Tibi munera mitto Dianæ
Ingenio Domini non aliena ſui.
Namque licet Sophiæ compeller nomine φίλος,
Me Venatoris vox quoque ritè decet.
Conveniunt, pulchroque ſimul duo nomina nexu,
Et Venatoris, Philoſophique ſonant.
Scilicet in ſolis Venator ſaltibus errat,
Exercetque ſuum non niſi ſolus opus:
Et rerum à prima dum quærit origine cauſas
Philoſophus ſolis gaudet in eſſe locis.
Adde, quod & ſimili titulo venatur uterque;
Unde ſit hic pecudum, quo ſit at ille genus.
Urbe procul quando mihi florida rura coluntur,
Me præſtare modò munus utrumque juvat.
Noſtri ergo hæc partem mitto Tibi dona laboris,
Quæ non grande mei pignus amoris erunt.
Cor noſtrum miſſæ nequeo ſuperaddere Prædæ,
Præda libens mentis nam fuit ante tuæ.

Devinctiſs., & Obſequentiſs.
Famulus Vin. Ambra.

ILLUSTRISSIMO DOMINO
D. HENRICO
NEVVTON

Pro elegantiſſima Elegia ab illo exarata prope Flumen Arni

In loco qui Vulgo dicitur L'Argin Groſſo.

EPIGRAMMA.

DUM blandas dulci poſcebas carmine Muſas,
Lætior effuſis quà fluit Arnus aquis;
Protenus annoſum Fluvius caput extulit undis,
Exultanſque novos ebibit aure ſonos:
Formoſaſque alto deducens gurgite Nimphas,
Forſitan hìc, dixit, Phœbus amicus adeſt?
Ite peregrino nectentes flore coronam
Quæ divum exornet laurea digna caput.
Aſt Henrice tuas, noſcens, doctiſſime voces
Queis reſonant Floræ mœnia cuncta ſuæ,
Proſiluit lymphis, dextramque hæc ſcripſit in oram
Nomen ut obſervent ſecla futura tuum.
Hìc Newvton cecinit vates, procul ite profani,
Carminibus ſacer eſt jam locus iſte ſuis.

AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM

DE VILLA NOVA

Poſt auditas Orationes, & Carmina quæ ipſe conſcripſerat.

DISTICON Extemporaneum.

Carmina diffundas, verbiſve loquare ſolutis
Ore tuo, loquitur Pallas, Apollo canit.

Advocatus Corſinianus.

EPIGRAMMA.

Italia Henrici prob quantum debet amori!
Laudibus exurgit pulchrior ipſa ſuis.

Antonius Maria Salvinus.

ELE-

ELEGIA.

AUreus ut noſtras ſermo delatus ad aures,
Ingenii partus nobilis ille tui;
In quo præſtantis fulget facundia linguæ,
Henrico, & COSMO Principe digna meo:
Carmina tentavi, tenue atteſtantia noſtrum
Judicium, laudes promeritaſque dare:
At Fora rauca ſtrepunt ſic litibus undique, vix ut
Muſarum ad cultum vertere verba queam;
Carmina procedunt animo dedicta ſereno,
Quin animum nimiùm corpora laſſa premunt:
Exhauſtæ ſtudium probibent aſſumere vires;
Menſque minùs gracili corpore noſtra valet.
Non benè cantantes, labor eſt, audire Camœnas;
Sic ſatius nugis abſtinuiſſe meis.
At cùm tecta ſubit Novavillæ pagina docti,
Aſſumunt vires languida membra ſuas.
Et relego, & relegi jubeo, renovata voluptas;
Quodque æger fuerim, non meminiſſe licet.
Quam Tibi vena ferax, cœli non indiga noſtri?
Nec veteri Auſonia, qui ſuperaret, erat.
Ævi reſtituas Nobis exempla prioris,
Moribus antiquis, ingenioque pari:
Ingreſſum Cœtus, recipit Florentia plaudens,
Ejus tu Muſis, & vacat illa tuis.
Læta audit ſemper recitantes Principis acta,

Attamen illa tuo dulciùs ore fluunt.
Principe pro Noſtro Superi tua vota ſequantur,
Sique valet COSMUS, *jam ſua Flora valet.*

Al. Lud. Catelani.

AD HENRICUM

DE NOVA VILLA, &c.

OB ORATIONEM AB IPSO AD M. ETRURIÆ DUCEM
Italico Idiomate habitam.

EPIGRAMMA.

PRoſpera quæ COSMO *nuper Novavilla dediſti*
Auribus advenium Omina grata meis:
Eloquio promptum Latio, te reddidit uſus,
Temporis & noſtri laus ea rara fuit.
Sed jam miramur Tuſco, & ſermone Diſertum,
Atque Italos primùm finxeris ore ſonos.
Non Tyrocinium novit, mens Hoſpitis alta,
Vix Opus inceptum eſt, perficiturque ſimul:
Utque priùs Gentes, Connectis Fœdere, Verba;
Solaque nunc lis eſt, quam magis illa colant.

A. A. Catelani.

AD

AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM,

D. LEGATUM NEVVTON

Menſ. Novemb. A. S. 1709.

ODE.

COnſili facunde Pater ſagacis,
Docte ſemotas ſociare Gentes
Fœderis ritu; decus utriuſque, &
Arbiter Aulæ!
Italo, durus, ſine me per Alpes,
Ibis à Cœlo, tepidaque bruma;
Ibis, at noſtri immemorem ſuprema
Alloquar hora.
Te nec Auguſtum retinet Tribunal,
Artis æternæ labor! intuenda
Oraque Heroum, vetereſque faſti
Ære nitentes!
Neve Laurenti ſpecioſa Templa,
Murus & qualis Solymam deceret
Cœlitùs delapſam, onyche, ſmaragdo, i-
-aſpide pura!
Blandior cœtus nec Apollinaris
Flexerit vis, ſocraticæ Domuſque,
Et Chori qui Te docilis Magiſtro,
Lætus Amico?

Sic

Sic Tibi ſeptem placuere Colles?
Sic favor Romæ juvat hoſpitalis;
Pulchra ſic Te Parthenope, Tuique
Urna Maronis?

Serus at caros repetas Penates,
Serus è Floræ redeas ſinuque,
Jam locus ſi quis precibus, moræque
Si locus ullus.
Te rogat Gentis Pater atque Princeps,
Per ſui curam, Hoſpitiique tanti,
Hoſpitem COSMUS rogat almus, almæ
Regia Floræ:
Vota ſed COSMI retrahant euntem,
Vota ſed Floræ reditum morantis,
Vota Fernandi, Populi Patriſque
Vota ferentis:
Cernis ut morbi, volueriſque fati
Victor, ac jam certa ſalus ſuiſque
Et tuis, grata ſerie affluentes
Ordinat annos?
Nectit en? Dulceſque moras Beatrix,
Divaque in terris ſtudioſa Cœli,
Debitæ Templis, opifex Coronæ,
Soſpite ſponſo.

Patris at nomen Pietaſque vicit,
Vicit & ſponſi, pia judiciſque
Mens, ut ingenti Pater eſſe malis
Sponſus & Urbi:
Illa te deſiderio fideli
Icta jam quærit; procul ah! canentem
Invidet Cycnum Nova Troia Floræ,
Tameſis Arno.
Virginum primæ, (Venereſne dicam
Lucidum par, an Veneris Columbas?)
Heù! gemunt, pulchros neque dimoventes
Littore Vultus.
Jam diù noſtra fora Te Minervæ
Præſidem poſcunt, prece Te benigna
Advocat ſacræ Catharina ſedi,
Te Themis Angla.
Hæc ubi juſtà Latio imminentem,
Sic & Europæ, domuit Catena,
Audiet bellante prior, revinctum
Lenis in Hoſtem.
Audiet Pacis generoſa Cuſtos,
Ægidis nuper Dea, nunc Olivæ;
Marte, præclaris vicibus, Britanno,
Mercurioque,
Uſa Marlburgo: Dominam, Ducemque,
Teque, ſublimi Magalottus ornat
Voce, Mæcenas pariter Maroque,
Tuſcus uterque. Nec

Nec Tibi forſan Magalottus ipſe,
Muſa nec cordi eſt, modo mulùm amati
Carminis nec quid poterit fugacem
Siſtere Phœbum?

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO

HENRICO NEVVTON,

PRO MAGNÆ BRITANNIÆ REGINA

Apud Regiam Celſitudinem Magni Ducis Etruriæ Oratori.

Querela, ob ejuſdem reditum in Angliam.

QUod placet, Etruſcas, Henrice relinquere terras,
Quantum Hominum noſtra vivit in Urbe dolet.
Anglia te ſpecimen Virtutis miſerat ad nos,
Idque equidèm eximii muneris inſtar erat.
At nunc eripiunt Te nobis Regia juſſa,
Eripiunt Doctis delicium, atque decus.
Ah qucties notas audire, & reddere voces,
Et tecum licuit conſociare dies!
Mirarique Virum ſubnixum robore mentis,
Et qualem Magni Principis aula cupit,
Conſilii plenum, cui rerum mira ſupellex,
Et qui Cecropias depopulatus opes.

Nec

Nec non Auſonias, quo ſit magis utilis Orbi,
Nomen & à ſera Poſteritate ferat.
Sive Venuſinum placuit Tibi tangere plectrum,
Carmina Apollineo tincta lepore fluunt.
Sive Elegos pangis deductæ è vertice Pindi
Adveniunt faciles ad tua vota Deæ.
Libera ſi pedibus recitas tua ſcripta, diſerti
Romanæ apparent tunc Ciceronis opes.
Juſtè igitur nobis Te lamentamur ademptum,
Gaudia nimirùm ſic fugitiva volant.

In argumentum obſequii
Lazarus Benedictus Migliorucci.

MUSA MORALIS

MUSÆ BRITANNICÆ.

EPISTOLA Reſponſiva.

HEÙ reduces greſſus iterabis Muſa Britanna?
Ah tandem viduos mœſta videbo dies!
Borghettum petii credens aſſueſcere mentem;
Ut mora facta brevis mitiget eſſe procul.
Sed neque fert animus tantiſper longiùs ire;
Corpora ſi diſtant pectora juncta manent.
Nunc hùc, nunc illùc, & ubique ſine ordine vado;

Eſt ſemper centrum Muſa Britanna meum.
Borghetti memorat mæſto tenebroſaque Eremus,
Hoc ſole occiduo nox tibi ſola manet.
Floribus & pomis viſis, & frondibus Horti;
Gaudia tunc dico ſic cecidere mea.
Sunt hederæ muro, ſunt fixaque gramina terræ;
Cur ſic me nequeo conglutinare Viro?
Inſerui multos trunco Cedroſque, Pyroſque,
Et cordi cor non inſeruiße licet!
Hæc dum turbata convoluo mente dolenti,
Quod redis, atque doles Muſa Britanna lego.
Tu gemis? & doleo: ſic vult deludere Fatum!
Saucius abſtergam vulnera facta tibi?
Sed tamen evincit charæ dilectio Muſæ,
Ut moneam quod ei cauſa doloris abeſt;
Applaudunt Tuſci, diviſus ab Orbe Britannus
Expectat te, ſic Orbis uterque colit.
Scipio, nec Cæſar tanto rediere triumpho;
Non ferrum ſed amor corda revincta feret.
Tyrrhenæ Charites ſophiæ, Muſæque ſequentes
Complaudent merito vocibus atque ſono.
Anglia complexu ſtringet, patriique penates,
Te junctis animis Anna vel ipſa cupit.
Ergo te ſolum non jam capit unica Tellus!
Sit ſat cum tanto nos habitaſſe Viro.
I nunc, atque novam veteri conjunge coronam;
Conſumpſit lauros Tuſcia, Flora ſuas.

Iam

Jam nunc Tritones Neptuni jussa pavete,
Eolio firmas carcere ferte seras.
Et Zephyro atque Theti, Thirrenis ducere puppim
Fluctibus extat honor, lambere summa togæ.
Quò me fert amor! heu discessum provoco Musæ?
Et mens immenso corda dolore ciet.
Jam suspiria stent; ventus ne pellat euntem,
Stent lachrymæ calidæ, ne fremat unda Maris.
Gaudeo si maneat; sed Musa carebit honore?
Si pergit doleo? Scilla, Caribdis adest.
Sacrificare volo me totum Numini Amoris,
Auctus sitque dolor; dum tuus auctus honor.
Vade; sed innexus consistes pectore nostro;
Stans tecum venio pectore Musa tuo.
Sic erimus semper simul; ergo postulo tantùm,
Sit mihi cura tui: sit tibi cura mei.

Ex Eremo Fesulano, ideſt Borghetto die 22. Novembris 1709.

Obsequentiss. Cosmus Gualterottus Bardi
Musa Moralis.

ILLUSTRISSIMO DOMINO

HENRICO NEVVTON

È Tuſcia in Angliam redeunti

Expreſſus Feſularum Luctus.

CARMINE ELEGIACO.

GRatulor Henricum præſentem Feſula cernens,
An plangam Nevvton perdere juſſa Virum?
Defleo Regina reditum mandante Britannum,
Gaudeo, Feſulea Te retrahente mora.
Theſaurus præſens felicia gaudia mulcet.
Theſaurum perdo? Me quatit ecce dolor.
Vita mihi præſens hilarat præcordia Amantis,
Sed Vitam perdens exanimata ruo.
Malleus ut duplex cum ferrum percutit ardens;
Sic me ferventem tundit uterque furor.
Quoque magis ferar ignoro. Proh? Mæſta dolore
Heu ſcio, terque ſcio quod nimis icta cado.
Infandum Regina jubes ſentire dolorem;
Tu me ſola premis; Tu cruciaſque ſinum.
Ergo Feſuleos colles Henrice relinques?
Feſula plus vivet Te viduata Viro?
Dimidiata feres tecum mea pectora Nevvton;

Sic

Sic vel amica potes corda ſecare manu?
Oh Dii quod facinus, quæ Juppiter acta patravi?
Quod fugias oculis dulcis ocelle meis?
Ah ſcio! ſufficitis minime Vos Tuſca Vireta;
Ut mel ſufficiens Anglica ſugat Apis.
Haud mirum? Vidi Parnaßo Monte Virente
Siccata lauro, quod Cypariſſus erat.
Crevit aduſque dolor, quod pulchras Ambra Coronas,
Floridus & Bardi comminuere ſuas.
Muſaque cuncta manet nigro velata colore,
Altos & gemitus, flenſque, tacenſque trahit.
Hìc Cytharas fractas, hìc plectra relicta videbam,
Nimirum noſter vadit Apollo procul.
Quid tamen in querulos Muſarum corruo ſenſus,
Si mihi plus cunctis maxima cauſa mali eſt?
Non me Progenitam jactabam Atlante Parente,
Mecum erat Atlas cui pondus ab Orbe leve.
Hoſpite Teque meo jactor Cicerone fidele,
Si quondam mecum jam Catilina fuit.
Inter Biſſenas Urbes me Tuſcus honorat?
Æſtimo plus, unum me coluiſſe Virum.
Anglia ſic nobis ſupremos Feſulæ honores,
Forſan & extremos invidioſa rapis?
Heu fulvos Boreæ contemptos trado capillos,
Et deſperatum dilacerabo ſinum.
Promam ubicumque ferar gemebundas ore querelas,
Ungue peroffenſas dilaniante genas.

Ite

Ite procul Driades noſtræ, procul ite Napeæ,
Pectoris aut cantet fiſtula mæſta nota.
Æquora confido referent quæ ſola Britannum;
Quod lachrymis aderunt aſperiora minus.
Æquora Vos igitur, Vos hunc Tritonia Regna,
Diſceſſum Navis Vos prohibete rogo:
Sed fallor! Zephiri ſuſpirant mollibus auris,
Et placido vultu, ſpectat uterque ſinus.
Omnia Vos oro ſaltem Vos ora Britanna
Effugite appulſum. Sic rediturus erit.
Sed fallor nimium! Regina digna jubente,
Brachia dilatat Portus uterque ſua.
Sic ergo Miſeram Fatum te Feſula ſpernit?
Ah! ſic aſperni ſponſa vetuſta ſolet.
Vade licet moriar, digno cumulandus honore,
Feſulam & antiquam ſemper amandus ama.
Sic me Phœnicem redivivam ſole Britanno
Reddet amor priſcus junctus amore novo.
Semper amatus eris, ſit Feſula ſemper amata,
Sic erit in vitam, Vitaque amoris, amor.

In Conventu S. Franc. Civitatis Feſularum die 20. Februarii 1710.

Addictiſs & Obſeq. Servus
Fr. Caſimirus de Flor. ex Reformatis Franc.

ILLUSTRISSIMO DOMINO

HENRICO

DE NOVA VILLA,

ANNÆ MAGNÆ BRITANNIÆ REGINÆ

Apud Etruriæ Magnum Ducem, & Genuenſium Rempublicam Ablegato,

Viro Clariſſimo atque Doctiſſimo, deque bonis omnibus egregiè merito.

EPIGRAMMA.

SI Virtutis amor, Rectique immenſa Cupido,
Cautaque cum nivea ſimplicitate fides,
Si vigor, & magnis ſolers induſtria rebus
Humanum extulerunt ſecla per ulla decus:
In te certè uno cumulata Henrice refulgent,
Ut tibi non ſuetum gloria ſternat iter;
Quippe pari ingenuas Genio complecteris Artes,
Grandia quo Regum Munia ſemper obis;
Sacra graves inter curas ſeris otia Muſis,
Nec rigido inſontes Deſpicis ore Deas;
Non te Vulgus iners pulcris avertere cœptis,
Obſcuræ potis eſt non timor invidiæ.
Cœleſtem namque Aſtra animum præclara tuentur,

Jup-

Juppiter & toto protegit uſque ſinu;
Salve Summe Heros, cui ſors, cui nobile fatum
Mirandi partes tot dedit Ingenii:
Nequidquam fluvio ſtyx volvitur atra profundo
Ne tua poſt cineres fama ſuperſtes eat;
Divinæ te Mentis opes, te ingentia facta,
Docta Virum æterna laude per ora ferent.

Jo: Baptiſta Comes Fantonius D. D.

ODE
AD HENRICUM
DE NOVA VILLA.

PArva Tyrrhenum dare me per æquor
Vela quid juſſit Rhedicina Mater,
Arte materna vacuum, ſuique
Carminis uſu!
Iſidis multùm levat aura, multùm
Tibridis cycnos; ego matre Diva
Heu! minor proles, ego apis Latinæ,
Fucus an, oræ,
Nubium tractus mutuens aperti,
Spiritus fundo tenues, odoras

Uvido

Uvido circumvolitans Liburni in
Littore myrtos:
Simplici myrto, nihil allaboro
Altius, ſi quid petiit benigni
Villa Corvini, petiere Sylvæ
Conſule dignæ.
Nempe ſub plectro minùs efficaci
Barbitos fruſtra trepidat, Magiſtri
Qua manum ſenſit facilè ſonorus,
Cætera ſurdus.
Te juvet mirè tetigiſſe chordam,
Qualis Hanneſi reſonat Camœnæ,
Movit & qualem Filicaia ſacro
Pectinis auro.
Jam tuæ ſpondet chelys alma dextræ,
Anglico nuper modulata civi,
Nuper Etruſco, quod & his in oris,
Vivat, & illis.

Kal. Maji 1710.

AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM

HENRICUM NEVVTON

MAGNÆ BRITANNIÆ POTENTISSIMÆ REGINÆ

Ad Regiam Celsitudinem Sereniſſimi M. Etruriæ Ducis Ablegatum,

In ejus in Patriam reditu.

ELEGIA.

PIndi deliciæ Muſarum incenſus amore,
Quem donaſſe ſua gaudet Apollo lyra;
Neվvtonus Italicis ingens decus, additus oris
Quem jactat civem terra Britanna ſuum;
Terra Britanna viris, armis, ſtudiiſque decora,
Quæve ſolo victrix jura dat, atque Mari.
Neվvtonus Antiſtes Themidos, ſuadæque medulla,
Quem Charitèſve ſuum Mnemoſynèque vocat.
Neվvtonus in Patriam caro divulſus ab Arno
Non ſine amicorum fletibus avehitur.
Anna, potens rerum, caſtrorumque inclyta mater,
Cur tanti nobis ſubtrahis ora Viri?
Quis magè præſentem potis eſt Te ſiſtere nobis,

Con-

Conſpicuum & Numen reddere quiſve tuum?
Quis Majeſtatem Regnique referre Britanni,
Reginæ excelſæ quis pote grande jubar?
Doctior aut illo; quiſnam facundior alter,
Clarus & humani dotibus ingenii?
Non deſunt iſthic qui publica munia poſſint
Implere, & faciant Regibus uſque ſatis.
Aſt opus ingenuas hìc eſt qui vindicet Artes,
Exemploque libens excolat ipſe ſuo;
Præbeat & doctis facilem ſermonibus aurem,
Etruſcis Muſis, Auſoniiſque ſimul.
Dum tu orbem peragras Felix victricibus armis,
Hic ſtudia illuſtret nobile Pacis opus.
Nominis atque Angli decus immortale propaget,
Quos Marti ſapiens juncta Minerva juvat.
Otia magna facit Regali pectore Coſmus,
Et facit arma feri militis eſſe procul.
Dumque aliis gliſcunt bellorum incendia terris,
Alma beat Populos Pax, & amica Quies.
Otia ſunt ſtudiis ergo exercenda benignis,
Ne ſit pigritiæ, deſidiæque locus.
Newvtone tu monſtras verum pulcrumque laborem,
Ingenioque beas commoda noſtra tuo.
Certè habet in magno generoſa Britannia Regno
Artibus egregios ingenioque Viros.
Sed tamen ab video magnam felicibus Annam
Votis expetere, & Te quoque velle ſuum;

Pectore qui condis ſacra, & civilia jura,
Quique es, & ingenio conſilioque potens.
Allicit atque Uxor, thalami Regina pudici,
Abſentem quæ te jam dolet eſſe diu;
Et geminæ alliciunt dulces, tua lumina, Natæ;
Queis nil caſtius aut pulchrius Orbis habet.
Quid facias? retinet, ſtudiis Florentia mater,
Et retinet ſtudiis, & Tibi amica cohors.
Sed Dominæ Imperium vel vincla tenacia rumpit,
Eripit & nobis, nec ſinit eſſe tuum.
Vade igitur noſtro in Patriam deductus amore;
Vade age cum fauſtis lætus & ominibus.
Sed ne te capiant dilectæ oblivia Floræ,
Salvinique, rogo, ſis memor uſque tui.

Antonius Maria Salvinus.

ALL'

ALL' ILLUSTRISSIMO SIGNORE
IL SIGNORE
ENRICO NEVVTON

Inviato Straordinario di S. M. Brittanica, alla Real Corte di Toſcana.

Per lo ſuo ritorno in Inghilterra.

CANZONE

DI BRANDALIGO VENEROSI DE' CONTI DI STRIDO.

I.

TU ſenti Etruria; dal tuo vago Cielo
Tarte il Britanno Enrico;
Quei, ch' ardendo per te d'oſſequio, e Zelo,
Vive alla gloria de' tuoi ſtudi amico.
Egli però non volontario parte,
Ma il tragge autorità di ſua Regina:
Che a Lui ſublime Dignità comparte;
E vuol ſi eccelſa mente a sè vicina:
Di cui librò l'ineſtimabil pondo,
Per ventilar gli affari alti del Mondo.

II.

Ei gran Meſſaggio alla Toſcana Corte.
Dal Tamigi ſen venne;
Con docil Cuore, e con maniere accorte,
A tutti caro, il ſommo onor ſoſtenne
Per ogni detto, traſparian dell' Alma
Le più ſincere, e fervide ſcintille:
E di ſue cure la gravoſa Salma
Reggea Prudenza, fra virtudi mille,
E al Toſco Re, di Lui contento, appieno,
Parlando, empiean di maraviglia il ſeno.

III.

O Sovrana dell' Arno, alma Cittade,
Quanta ſtraniera luce
Perdon le ricche tue belle Contrade!
Enrico parte, e nel partir conduce
Seco il più fino amor di tutti i Cuori:
E in ogni cuor laſcia 'l ſuo amore impreſſo;
Seco portando i meritati onori
Laſcia de' merti ſuoi forte rifleſſo;
Onde men fa la perdita funeſta,
Il valor di chi parte, e di chi reſta.

Fin

IV.

Fin ch'avran vita i chiari ingegni egregi
Dell' inclita Fiorenza,
Ragionerà de' ſuoi ſublimi pregi
La ſtretta in verſi, e la ſciolta eloquenza.
Celebreran del ſaggio Oſpite il ſenno
Ne i maneggi Politici, e Civili;
E quei che in alto più ſalir lo fenno
Figli di nobil cuor tratti gentili;
Ed a Lui col color d'ogni ſuo fatto
Vivo di Laude formeran ritratto.

V.

Io certo, fin che avrò le Muſe al fianco,
E in ſen Febeo furore,
Mai non ſarò di cantar Inni ſtanco,
Alzando fino all' Etra il ſuo valore.
Dirò quel, che ſedendo in Pindo un giorno,
Aſcoltai dalle Vergini ſorelle.
Dicean: felice Flora, in cui ſi adorno
Spirto, impreſſe di gloria orme ſi belle;
E dell' ingegno alzò le fulgid' ale,
Ove del tempo Arcier non giunge ſtrale.

VI.

Per l'immenſa del Ciel ſtupenda mole
Imprende arduo viaggio;
Colla gran Mente per le vie del Sole
Poggia, ne teme il sì poßente raggio;
Và meditando la grandezza, e i moti
Di quei Globi, ed i loro incontri, e'l ſito;
Gl'influſſi buoni, e rei, ſono a lui noti,
Che piovon da quell'Etere infinito:
E par, che gli Aſtri ſteſſi, a farlo eſperto,
Ogni ſecreto lor, gli abbian ſcoperto.

VII.

Onde per Lui la provida Natura
Correre al petto ſente
Freddi vapori di geloſa cura.
Sà chè paleſi alla felice mente
Sono i più aſtruſi ſuoi profondi arcani;
Tante cagioni, e naturali effetti
Non ſolo ei sà, ma ancor tratta con mani;
In meccanici ordigni, i vari affetti
Scopre de i Corpi, e come dentro al Voto
Vicende tante, abbia la vita, e'l moto.

VIII.

Della mia Piſa l'immortal Liceo,
E quei Coſcritti Padri
Dican, s'io ſono di menzogna reo.
Egli con modi amabili, e leggiadri
Trattò con eſſi, e lo ſplendor diffuſe
Di ſua vaſta Dottrina in gravi ſenſi.
La morta gloria dell' Auſonie Muſe
In Carmi avviva di bel foco accenſi;
E al puro ſtil ſentenze alte congiunge;
E nuovo pregio, al ſermon priſco aggiunge.

IX.

E pure alto Signor, lungi n'andrai
Dalle gradite ſponde
D'Arno, che forſe non ſarà più mai
Chiaro a Te ſpeglio, colle limpid' onde;
Tenta, o bel Fiume, come amor ti ſprona,
D'Alfeo gli antichi rinovar prodigj;
Là dove del tuo Caro il nome ſuona,
Per ſotterranee vie corri al Tamigi;
E godrai ſempre, entro quell'alueo accolto,
La Maeſtà del reverito Volto.

X.

Ma laßo, io quì rammento antica fola,
Fatto dal duolo inſano;
E intanto Enrico parte, e 'l tempo vola,
E aduggia ombra di lutto il ſuol Toſcano.
Or mentre Ei ſcioglie da i Tirreni lidi
Intento a ritrovar l'Anglica Teti:
Vanno dietro mill' occhi, e mille gridi
Quaſi in corteggio a i volatori abeti;
Ferve ogni Cuore in affannoſi moti;
Rimbomba l'Aria, e 'l Mar d'Augurj, e Voti.

SENATORIS FILICAIÆ

ODE

IN MOGARINUM,

Ad Fjuſdem Affinem, Bernæ agentem.

Diverſa Imperiis, more hominum, data eſt
Ætas. Primùm etenim repere, (ita ut loquar)
Dein firmare gradum, mox adoleſcere,
Senſim denique in ardui
Staturam, ac faciem Corporis erigi.

Re-

Regno, Eoe, tuo, Flos, alia obtigit
Sors; naſci ſiquidem, creſcere, & altiùs
Extolli fuit novum Opus.
Flavum vela Tagum vix tua viderant;
Et jam jam ſpecie fortis, odoreque
Armis per mediam victor Iberiam
Spargebare fragrantibus.
Jam pugnare tuo ſub Labaro acriùs
Muſæ ardent Italæ; nec tibi adoreæ
Deſunt, Pierium Tuſca viriliter
Martem Claſſica dum cient.
Nevvtone, ac Somero jam ducibus, tibi
Latè Orbis ditio parta Britannici,
Quodque Anglo haud dubiè vaſtius ambitu
Mers complectitur utraque.
Verùm inculta riget ſub Jove frigido
Quà Tellus hyemi ſacra diutinæ,
Quid ſcabra indomitæ proxima Rhætiæ
Teſqua, Helvetica quid juga
Expugnata Lyræ ſpiritu ab Anglicæ
Dicam, hirtique ſoli barbariem tuo
Manſuetam Imperio? Nil penitus, nihil
Manningo inſuperabile eſt.
Hic terſæ madidus lacte Venuſiæ,
Totoque ingenium fartus Apolline
Citra ſegnitiem cautus, & impetum
Citra audax, tua longiùs

Fert Vexilla Novi Conditor Imperi,
Et me fronde, (loquarne, an ſileam?) tua
Fronde, inquam, redimit, quæ modò regiis
Jam te frontibus implicat.
Divinare licetne? Huic ego Laureæ,
Alæ inſtar, vehitur quæ ſimul, & vehit,
Regnantum anteferam uon Diademata,
Non creſſæ radios Comæ.
Hinc ſublatus humo vaſta ego Nubium
Conſcendam ſpatia. En, te auſpice, iter patet;
En monſtrante viam Vate Britannico,
Quò quò vertam oculos, juvat
Veſtigare, odor an Gentibus hic tuus
Tam ſuave imperitans, Orbis & infimi
Rex, vi blanda aliud nunc ſuper aera
Regnum quæſierit ſibi.

EPIGRAMMA,

SUB ICONE,

HENRICI DE NOVA VILLA.

Quicquid agit Pallas, quicquid Prudentia monſtrat,
Ingenio, Newton, Conſilioque refert.

Joſ. Averani, J. Civilis Pr. Piſis.

L'IL-

L' ILLUSTRISSIMO SIGNORE
ENRICO NEVVTON
Inviato Straordinario di S. M. Brittanica, alla Corte di Toſcana,

Eſſendo dalla ſua Sovrana richiamato.

SONETTO.

Piangete o Muſe, che dell' Arno in riva
Dolce ſpiegate armonioſo canto,
E ricoperte di lugubre ammanto,
Itene a corteggiar l'afflitta Diva.
Flora la Bella di conforto priva,
Svelleſi i crini, e ſi diſtempra in pianto,
Calpeſta diſperata il Regio Manto,
Ne ſembra ch' in ſe ſteſſa, ella più viva.
L'alta cagion di così rio dolore,
Non ſapete qual ſia? ahimè pavento,
All'annunzio funeſto, aprirvi il core.
Enrico ſua delizia, ed ornamento,
Chiama alla Patria obbedienza, e Amore;
Muſe piangete; a voi farò concento.

Del Sig. Cavalier Tommaſo Dercham
Baronetto Ingleſe.

NELL' ESSER RICHIAMATO

L' ILLUSTRISSIMO SIGNORE

ENRICO NEVVTON

Dalla Real Corte di Toſcana, ove per più Anni ha eſercitata con ſomma gloria la Carica d' Inviato della Regina della Gran Brettagna.

SONETTO.

Piangete pure, o Muſe, in meſto Coro,
Che dove già n' andaſte all' Arno intorno
Cinte le tempia, e 'l Crin di verde alloro,
E di faſtoſo ammanto il petto adorno.
Or qual fia fuor del pianto altro riſtoro!
Se Apollo non fa più tra voi ſoggiorno?
Perdeſte, ahi pur perdeſte ogni teſoro,
E s' oſcurò per ſempre il voſtro giorno.
Parte Errigo ſi parte almo ſoſtegno
Di quell' inclita noſtra alta grandezza:
Suo Amor ben laſcia per eterno pegno.
Fiorenza a te, che più d' ogn' altra apprezza,
E ſfolgorando or nel natìo ſuo Regno
Vuol te vie più illuſtrar con ſua chiarezza.

Del Sig. Cavalier Giulio Ceſare Ricaſoli.

ALL' ILLUSTRISSIMO SIGNORE

ENRICO NEVVTON

PER LA SUA PARTENZA

SONETTO.

TU parti, ENRICO, e teco porti il Core
D' ognun, che nel felice almo Paeſe,
Che l' Arno irriga, il tuo trattar corteſe
Degno conobbe d' immortale amore.
Tu parti, Enrico, e accreſce il mio dolore
L' aver tant' altre tue Virtù compreſe:
Il genio volto all' onorare impreſe,
Della bell' Alma il nobile candore.
Taccio il ſommo ſaver, l' alta eloquenza,
Per cui, ſe ſciolto parli, a quel d' Arpino
Non cedi, e'l Veroneſe adegui in verſi.
Quindi, pel tuo partir, di pianto aſperſi
Fian ſempre gli Occhi miei, ſpirto divino.
E meco piangeran Piſa, e Fiorenza.

In ſegno di Stima, e d'Oßequio
Aleſſandro Marchetti.

10352261

ALL' ILLUSTRISSIMO SIGNORE

ENRICO NEVVTON

Inviato Straordinario di S. M. della Gran Brettagna

Alla Corte di Toſcana, ed alla Republica di Genova.

ILLUSTRISSIMO SIGNORE.

CON riverente divozione conſacro al genio virtuoſo di V. S. Illuſtriſs. le preſenti Oſſervazioni, da me fatte nel Diario Italico, da Nobile Autore publicato; poichè, contenendo queſte la realtà di varj monumenti laſciatici da gli antichi Romani, non ſolo a Lei ſi convengono, per eſſer Imitatore de' medemi nelle ottime diſcipline, e nella ſplendidezza de' coſtumi, de' quali con altre belle doti ſi adorna; ma anche perchè,

ha grande intelligenza delle Iſtorie, e delle memorie degli ſteſſi antichi Romani; E di ciò ne diede baſtevol ſaggio a coloro, ch' ebbero l' occaſione di trattarla, quando Ella ſpinta da genio nobile, ed amore verſo le noſtre antichità, venne a bella poſta in Roma l' Anno ſcorſo a ſoggiornarvi. In queſto ſpazio di tempo avendo io avuto la ſorte di dedicarle la ſervitù mia, più degli altri ammirai l' alto ſuo Sapere, e negli Studj Poetici, e nell' Erudizioni Iſtoriche; e mentre ſi compiacque della mia compagnìa nella viſita delle Antichità non ſolo di Roma, ma dell' antiche Ville Tiburtìne, Tuſculane, a di altre circonvicine, mi ricordava con maravigliosa felicità di memoria, e facondia di dire, le medeſime antichità. Or avendo io fatta queſta piccola fatica, per compiacere alcuni Curioſi, e Studioſi di eſſe la ſupplico, mentre gliela preſento, benignamente gradirla, ed a V. S. Illuſtriſsima con tutto l' Oſſequio fò profondiſsima riverenza.

Di V. S. Illuſtriſs.

Roma 24. Luglio 1709.

Umiliſs., Divotiſs., ed Obligatiſs. Servitore
Franceſco de' Ficoroni.

ILLUSTRISSIMO SIGNORE,

MIO SIGNORE, E PADRON COLENDISSIMO.

COnforme mi diedi l' onore di ſignificare in perſona a V. S. Illuſtriſs. la ſera di Mercoledì, fù ella jer mattina propoſto dal noſtro Sig. Arciconſolo, perchè reſtaſſe ammeſſa nella noſtra Accademia; e tutti alzatiſi immediatamente in piedi, acclamarono V. S. Illuſtriſsima a viva voce, ſenza oſſervare alcuna delle ſolite formalità. La celebrità del ſuo Nome, e molto più il merito della ſua Sapienza, e Virtù potevano ſole baſtare per ottenerle indubitatamente un tal grado; ma la grandiſſima benevolenza da V. S. Illuſtriſs. dimoſtrata alla noſtra Adunanza; e l' amore ſviſceratiſſimo, che ha ſempre avuto agli Studj, e alla coltura della noſtra Lingua natìva, coſtituivano gli Accademici in un debito indiſpenſabile di proteſtare a V. S. Illuſtriſs. con un ſimile atto d' oſſequio la loro perpetua gratitudine, e divozione, ed oltre a ciò vi è concorſo unitamente il gagliardiſsimo impulſo dell' A. R. del Sereniſs. Gran Duca N. S., e la benigniſſima condeſcendenza del Sereniſs. Principe Noſtro Protettore; che han goduto in eſtremo di vedere accreſciuta alla noſtra Accademia una gloria sì grande, men-

tre V. S. Illuſtriſsima ſi è compiaciuta di eſſerci annoverato fra i ſuoi; Ed io, che non meno di ogn' altro ſono ſtato da tanto tempo oſſequioſiſſimo Veneratore de' ſuoi altiſſimi pregj, con vero, e profondo riſpetto mi dò l' onore di ſottoſcrivermi.

Di V. S. Illuſtriſs.

Di Caſa Venerdì primo d' Agoſto, a ore 21., e mezzo 1710.

Divotiſs. Obligatiſs. Servitor vero
L' Innominato Pandolfo Pandolfini Vice-Secret.

AD ANTON. M. SALVINUM.

EPIGRAMMA.

Quomodocunque meis contingat Vita libellis,
Mì ſatis eſt, Italis, ore fauente legi.

FINIS.

INDEX ORATIONUM.

ORatio ad M. Etruriæ Ducem die ejus Natali. 1705. p. 3.
Oratio ad eundem in reditum ipſius Florentiã poſt Ferias Octobres ex Seceſſu Ambrogiano. 1705. p. 7.
Libellus ſupplex M. D. oblatus. p. 10.
Libellus ſupplex ad Ducem, & Senatum Genuenſem de vindicanda Famuli cæde. p. 11.

INDEX CARMINUM.

V. Ambræ Epigramma Feſulanum. p. 68.
Apathiſtarum Academiam ingredienti Henr. de Nova Villa, Elegia. p. 61.
Ad Arcadas Romanos. p. 26.
In Aſtro meteorologiam J. Goad Inſcriptio. p. 20.
In eandem Carmen. p. 23.
In Simulacrum B. Averanii. p. 18.
J. Averanii Epigramma in Iconem Auctoris. p. 96.
C. G. Bardi Muſa Moralis. p. 77.

F. Caſimiri Elegia. p. 80.
A. L. Catelani Epigramma ad Henr. de Nova Villa p. 37. *Epiſtola ad eundem* p. 38. *Elegia* p 40. *Elegia* p. 71. *Epigramma.* p. 72.
Advocati Corſiniani Epigramma. p. 70.
Ad Academiam della Cruſca ante Encænia Filicajana. p. 17.

J. B. Comitis Fantonii Epigramma. p. 83.
V. Filicaiæ Ode ad F. Manningum. p. 94.
Ode ad Henr. de Nova Villa. p. 3. *Epigramma* p. 7. *Ode ad eundem de Mogarino* p. 8. *de Cadavere Mogarini.* p. 10. *Epigramma de Mogarino* p. 12. *Ode de Mogarino.* p. 43. *de eodem.* p. 46. *Ode ad Henr. de Nova Villa dum Genuæ moraretur.* p. 52. *Jambi in idem Argumentum.* p. 59. *Ode ad DD. Sommerum* p. 48.
Ode in memoriam Senatoris Filicaiæ. p. 18.
Nemora Florentina Elegia. p. 30.
Florentia ad Annam M. Brittaniæ Reginam. p. 29.
J. Freindii Epiſtola. p. 65.
In Villam Imp. Hadriani. p. 24.

Ad Equitem G. Kneller. Pictorem. p. 28.

Inſcriptio Statuæ Leopoldi Cardinalis. p. 16.
Epigramma in eandem. p. 17.

L. B. Migliorucciì Epigramma. p. 72.
Inſcriptum novo Teſtamento Græco Milliano. p. 27.
In Mogarinum Filicaiæ, p. 11.
Can. Mozzæ Epigramma. p. 69.
Inſcriptio ad Hen. de Nova Villa. p. 3.
Ode ad Henr. de Nova Villa. p. 73.
Alia ejuſdem Auctoris p. 84. *Carmen ejuſdem Auctoris in Clypeum Antiquum VVoodvvordianum.* p. 63.

A. M. Salvini Epigramma. p. 70. *Elegia.* p. 86.
In Effigiem D. D. Someri. p. 28. *Scazontes in eandem.* p. 28.
De Tameſi, ex Anglico. p. 27.

In Vallem Umbroſam Etruſcorum. p. 25.
In mortem Stephani VValler. Elegia. p. 13.

10352261

Illustrissime Viro

HENRICO NEVVTONIO

ANNÆ BRITANNIARUM REGINÆ

Ad Magnum Etruriæ Ducem, & Genuensium Rempublicam

ABLEGATO

JOANNES BAPTISTA F. ANTONIUS S. P. D.

BOno certe literarum fato evenit, ut quum a florentissimo Angliæ Regno in pulcherrimam Italiæ Provinciam çtruriam Legatus mittendus esset, tu potissimùm Henrice Illustrissime eligereris; qui inclitæ terra marique gentis Veterem erga nos benevolentiam confirmares. Nam huic muneri postquam egregie satisfeciſti duos inter disiunctissimos populos mirabiles amoris sensus excitando, reliquum omne temporis, quod tibi a publicis curis superfuit, id tu magno animo ad liberales disciplinas excolendas, & qui eos profitentur ornandos, fovendosque contuliſti. Quare nemini mirum esse debet si quemadmodum nova hac sapientiæ Laude cæteris antecellis, atque iis præsertim qui Politices, & musarum studia, res a natura copulatas errore divellunt, mirum non est, inquam, si tanto eru-

di-

ditorum conſenſu præclaræ in eos Voluntati tuæ Honor decernitur immortalis. Hinc fit ut riſum potius, quam indignationem moveat quorundam impudentia qui ruſtico atque agreſti contemptu inutiles eſſe ingenuas artes affirmant Rempublicam capeſſentibus, ejuſque adminiſtrandæ cognitionem hauriri a ſola experientia poſſe autumant. Atqui ſi majorum inſtituta revererentur, ſi Græcas paulifper, aut Romanas Hiſtorias evolverent, agerent ut puto, cum literis honorificentius, & quantum eae tum pacis tempore, tum belli amicis ſuis profuerint, omnis illos admoneret antiquitas. Sed ni fallor deſidiæ potius dulcedine, quam veritatis ignoratione decipiuntur. Quippe cui dubium eſſe poteſt ingentes illos Heroas qui terrarum orbem vel peragrarunt victoriis, vel ſubactum ſaluberrimis legibus Rexerunt, cum Rhetoribus adoſicentiam, ac juventutem, cum philoſophis verò Vitam univerſam tranſegiſſe? Non enim eſt quiſquam, niſi inſipiens, ut quanquam natura præditus excellenti, attamen artis Præſidia ſpernere, & incomptam potius, rudemque doctrinam ſequi, quam ornatam, quam validiſſimis ad ſe tuendam armis inſtructam malit. Faceſſant hinc igitur peſſimi totius elegantiæ Hoſtes, & hanc invenuſtam virtutis ſpeciem quam ſibi diligendan propoſuerunt ſine Rivali habento. Tu verò Henrice Clariſ-

ſime

ſime perge quod facis regiam hanc Viam conſequendæ laudis oſtendere. Nempe cum ſumma judicii vi, ſumma doctrina, morumque gravitate, & comitate floreas, excelſæ huic Rei, cui totus incumbis, magna, fiet authoritatis acceſſio. Interim ego, ut te tanti operis acrior in dies Voluptas incendat, & ipſius in id conatus tui exempla, ſublimi loco poſita, intueare, hunc tibi quem vides librum dono dare conſtitui. Eſt is in duas partes diſtributus. Illarum prior, quæ manu eſt ſcripta, Florentinæ noſtræ Academiæ Principum, quos Conſules vocant, nudam ſimplicemque ſeriem præbet, non enim eorum Hiſtoriam ubere, & gravi conſcriptam ſtylo Salvinus Salvinus Antonii Mariæ frater natu minor adhuc abſolvit, etſi propediem editurus. In alterà quæ eſt typis excuſa, Illuſtrium quorundam ejusdem Academiæ virorum, decora, Reſque geſtæ luculenter enarrantur: Et quamvis duo hæc huius voluminis membra parum inter ſe cohaerere videantur, arctiſſimo tamen hoc nexu vinciuntur, quod utrumlibet aſpexeris innumeros in eo reperies qui difficillimis ut tu Legationibus functi, nunquam tamen leniores Muſas abjecerunt, quin immo pulcherrima nobis ingenii monimenta reliquerunt. Eſt igitur cur hoc qualecunque ſit munus magis quam tibi debeatur nemini. Cùm enim ea voluptate quæ ex liberali-

bus ſtudiis percipitur ſuaviſſima mirifice capiaris, quotieſcumque apud te de præſtantibus ingenio viris incidit ſermo, incredibili quadam lætitia perfunderis, atque integrum, niſi majora Revocarent, aut legendo, aut quæ legiſti expendendo, conderes diem. Quapropter hos doctrinæ civilis ſimul, & humanioris proceres, tui per quam ſimillimos excipe libenter, & poſtquam ab hac urbe diſceſſeris tanquam itineris comites tecum adducito. Ubi vero in Angliam perveneris quò doctrinæ laus omnis ſe recepiſſe videtur, non ideo Florentiæ tuæ memoria excidat. Sed cui præſens tot beneficiis, tantoque virtutum Splendore ſempiternum decus attuliſti, hanc ipſam, licet abſens, amare non deſinas. Dediſti nomen præcipuis in ea Academiis: habent ergo in te illæ quod ſui juris ſit, magnamque tui partem ſibi non immerito vindicant. Inter quas Florentina, quæ vocatur, Academia cujus mihi Regendæ Provincia funeſto hoc anno qui te nobis auferet demandata eſt, ut dignitate eſt Prior, ut alias omnes ſumma ergo te obſervantiâ non æquavit ſolum, ſed antevertit, ita in animo tuo id efflagitat, ut ſecunda ſit nulli. Hoc ego ejus nomine abs te peto, gratiasque ago immortales, quod celebratis in ea conventibus ſemper affuiſti, quod Academicos omnes, meque præſertim, ſingularibus humanitatis officiis devinxiſti. Neque putes extremum

mum hoc noſtri erga te grati animi indicium extiturum. Nullus tuæ famæ extollendæ, nullus erit unquam tui nominis illuſtrandi finis. Id ego dum publica voce polliceor, felicem tibi in patriam, ad coniugem, ad liberos tuos, reditum auguror, meque demum Nevvtoniæ genti æternum devoveo. Vale. Florentiæ X. Kal. Sextil. CIↃIↃCCX.

HENRICUS DE NOVA VILLA

HENRICO BRENKMANNO.

I. C. BATAVO. S.

LIX.

PUblici mihi Muneris impoſiti, vir amiciſſime, optimeque, quod totum, atque in ſolidum, animum occupare debet, conſcius memorque, ut pauliſper ſermones reſumere liceat, nos inter nudiustertius in area Divæ Mariæ V: raptim inter ambulandum habitos ſicque aliis tunc quidem intervenientibus ſtatim abruptos, de Honoribus, apud Academias, ut in Italiâ meritò vocantur, ſeu a me alibi acceptis, ſeu hoc loci nondum delatis, eo ſanè adhuc uſus ſum temperamento, ut neque unquam illos ambitioſus

ſponte

fponte quæſierim, neque unquam etiam inurbanus, oblatos defugerim recuſarimque. Adeoque cùm Urbem biennio abhinc inviſerem perluſtraremque, atque Arcades in ipſorum numerum cooptare vellent, primò, ex pudore, intercedebam, ad extremum tamen, ceſſi: Florentiam verò demum reverſo, miſſos inde Codicillos, quaſi ipſe peterem, remittebam, niſi ab ipſis, ultrò Honos deferebatur: ita denique delatum, (neque mos aliter inſtitutus obſtitit,) gratus accepi, & Carmine ex intervallo proſequebar: ita quoque poſtea, & ejuſdem generis alterum, ab Academia Florentina collatum, Matre quaſi ac Parente, hujus alterius, non in hac civitate ſolùm, ſed omnium in ipſa Italia, perque omnem Europam, celeberrimæ. Certè lætabar admodùm, eorum cœtibus pro libitum intereſſe, adeſſe freqnenter Recitationibus Orationum Carminumque nobilium, quibus veteris Romæ, atque ſumma Athenarum Ingenia, Florentina hodierna, ad Gloriæ Famaeque certamen cum laude provocant: & tantùm querebar, intra unius Domus parietes, hæc contineri adhuc detinerique; neque ejuſdem voluptatis Gaudiique, omnes quoque alios, ubique terrarum, compotes fieri. Contentus autem, verosibi, [ſic ipſis placuit] ſtudiorum fructus decerpere, non Titulos quærebam, neque inani

nominis ſono captabar. Et facilè quis Ambitum fortè vitaverit, ideo quod a nobiſmetipſis ut plurimùm, noſtroque pendeat ex arbitrio; aliorum autem, ſive Beneficio, qvum ei locus fuerit, ſive Judicio, qvum non precibus impetretur, intercedere, ſeq: importunum interponere, non tantùm Ingenii ſubruſtici, ſed etiam & animi nimis ſuperbi, & incivilis eſſe, mihi ſaltem, videtur. Vale. Florentiæ ex ædibus meis.

Acre Judicium. Morum candor.
Ingenii Lepos. Senſus acuti, denſi,
graves. Stuli elegantia,
eruditionis copia
totis biſce voluminibus
elucent.

Ant. Mar. Salvinus.

10352261

ORATIONES

QUARUM ALTERA

FLORENTIAE

ANNO MDCCV.

ALTERA VERO

GENUAE

ANNO MDCCVII.

HABITA EST.

AMSTELODAMI,

MDCCX.

10352261

ORATIO

HABITA CORAM

MAGNO ETRURIÆ DUCE,

primo Florentiam adventu, 1705.

EX Anglia, Sereniſſime Princeps, diſcedens, in mandatis habui, à Domina mea, Sereniſſima & Potentiſſima Magnæ Britanniæ Regina, ut quamprimùm Etruriam versùs inchoato itinere; quod tum hiberno tempore, tum viis, à militaribus copiis, obſeſſis impeditum, multò tar-

 diùs,

dius, quàm in votis erat, fuerit confectum; Celſitudinem Veſtram adirem, & Ejus nomine, plurimâ ſalute impertirem, omnia offerrem præſtaremque Officia, quæ ad Benevolentiam tantos inter Principes alendam, augendamque, ad Commodum Utriuſque Gentis, ad Publicum Bonum, ſpectare viderentur. Tandem verò longi equidem & difficilis itineris, tranſmiſſo Oceano, & tot Terris à tergo relictis, digna merces contigit, multùm exſpectatus, lætuſque Dies, quo fas eſt, congredi, adſpicere, alloqui Principem, cujus Prudentiam, peculiare propriumque, per tot Sæcula Mediceæ Gentis Decus, Etruria tua ſentit, tota agnoſcit, tota miratur Europa: cujus Amicitiam expetit, potentiſſima Terra Marique Regina; quæ nunc ſummâ, Domi, quiete; victricia ubique circumfert Arma, non quæſtus, non potentiæ, non oſtentationis gratiâ, non ad excutiendum innoxiis Vicinis otium, non ad turbandos veteres Fines, non ut ſuis Regnis, Regna addantur aliena; ſed ut Chriſtiano Orbi, multa perpeſſo mala, extrema metuenti, pax tandem ſolida, & manſura, & æqua Jura reddantur: adeò

adeò ut minimè verendum ſit, tales inter Principes; eo & ingenio, iis viribus, eo rerum uſu præditos; quin omnia bonâ fide coalitura, ſolumque certamen in poſterum futurum ſit, uter alterum omni Officiorum genere ſuperet. Ad hoc etiam accedit, Sereniſſime Princeps, ex quo Angliam Nobiliſſimus Hoſpes adiiſti, Benevolentia ſumma, vultu, ſermone, & quibus non Animi indiciis expreſſa & teſtata, quâ ſemper excipis, Noſtrates, Tuos, pænè dixerim, Anglos, (ita de nobis meritus es) Natalibus & Indole inclytos, & aliquando Gentis ſuæ & decori & præſidio futuros; quos ſibi Italia attrahit, ſeu Civilis ſapientiæ causâ, cujus ſine Æmulo illa verè habetur Magiſtra; ſive ſtudio videndi perluſtrandique Regionem, quæ Rerum olim, ſuo merito, potiebatur; quæ non tantùm Armis, ſed & ingenio, & Artibus prævaluit, & adhuc prævalet; quarum nuſquam, aut plura, aut majora exſtant Monumenta, quàm Florentiæ, quàm in Principis Domo; quas ille Artes, ut privatus intelligit, ut ſumma poteſtate dignum eſt, ſinu ſuo, complectitur fovetque: adeo ut in Patriam reverſi,

nihil magis prædicent, nihil magis prædicandum habeant, quam COSMI TERTII Sapientiam, Comitatem, Magnificentiam.

Interceſſit jam quoque per aliquot Sæcula, & in æternum precor obtineat! Anglos inter & Etruſcos neceſſitudo quædam, & ſumma Amicitia, innixa Fœderibus, commerciis coalita, mutuis conciliata affectibus; adeo ut Veſtrum Liburnum, ſuis, exteriſque, at Anglis Mercatoribus maximè frequens, mercibus, opibus, copiiſque omnium rerum abundans, florentiſſimum hodie totius Italiæ Emporium audiat. Hanc qui turbatam, qui non omni modò ſervatam eſſe cupiat, haud ille de Civibus ſuis, aut de Optimo & Sapientiſſimo Principe benè meruerit, tam ſuorum provido, tam amico Noſtrûm. Sed nihil hujuſmodi timere, nihil quidem ſuſpicari permittit tanta inter Principes Animorum Conjunctio, tantum inter Utrique Subditos, quaſi mutui Amoris, & omnium Officiorum certamen.

Certè nihil aliud in Votis habet, nihil ſuprà velit Domina mea, quam COSMUM TERTIUM, & Sui ſemper, & Magnorum Avorum ſimilem,

&

&, ſi fieri poſſit, Majorem, Illuſtrioremque, Valentem, Vegetumque, rebus probè fluentibus, ſuperſtitibus Liberis, fundatâ Domo, Famâ, meritiſque ingentem, longùm Etruriam regere; hunc Populum, hanc Urbem, ſemper curam Mediceæ Gentis futuram: florere, & indies augeri Commercia; & ſi qua in parte, more rerum Humanarum, aut Sæculorum tractu, aut Hominum negligentiâ, non ſua, nedum publica, ſemper ritè curantium; aut injuriâ Potentiorum, aut ipſorum denique Principum Edictis, varia pro tempore ſtatuentium, prout publica fortè Utilitas ſuadere videbatur; ſed quibus, ut magnis ubivis, & quolibet ævo, conſtat Exemplis, non publica ſemper reſpondeat Utilitas; immutata in deterius ceſſerit, ea in integrum reponi; ſi qua adhuc reperiri poſſint, quæ in Commune Utilia ſint, ea veteribus adjici, pactiſque denuò firmari ſervarique. Et ſanè Commerciis non minimè continentur, & Felicitas ſubditorum, & Magnitudo Principum: quorum etiam amplitudini & ſecuritati, & ut unà Chriſtiani Orbis, & Totius Humani Generis bo-

no meliùs conſulatur, juſtis conditionibus pacem tandem aliquando turbatæ, afflictæ, laboranti Europæ, Summi Numinis beneficio dari concedique: ut Italia etiam Veſtra, Communis olim Patria, quod maximè cordi eſt Optimæ Reginæ, Etruſcæ Gentis Fautrici, Medicei Nominis Cultrici, non tantùm à Bello, ſed etiam à Belli metu ſecura ſit.

ORA-

ORATIO

AD

SENATUM GENUENSEM

Habita 17. *Mart.* 1707.

PER tot ſæcula in hunc uſque diem, cultam mutuis Officiis & Fide, Regnum inter Angliæ, florentiſſimamque Veſtram Rempublicam, Sereniſſime Dux, Patreſque Genuenſes, ſtabilemque adeò, imperturbatam, & diuturnam Amicitiam, ANNA Magnæ Britanniæ Regina, Mari Terrâque omnium potentiſſima, & ſervare liberis, neque

tantùm ad poſteros transmittere, ſed & ad ſummum quoque culmen, pro bono Utriuſque Gentis Publico, proque Orbis Chriſtiani commodo, producere atque promovere parata eſt. Et quidni Illa, Genſque Anglorum, quæ læta Imperio ſubeſt, juſſiſque paret, Armis Victoriiſque per Orbem Terrarum hoc ſæculo, & quo non ſæculo? potens & inclyta, ac ſuperioribus equidem, Bello Sacro, per Orientem, devictâ Cypro, & ſervatâ Syriâ inſignis, ac ni Gallorum, ſemper Anglorum gloriæ, commodiſque, & communibus Chriſtianorum utilitatibus adverſantium, nobis & artes, & fraudes, & demum arma obſtitiſſent, Hieroſolymorum etiam, ſub Ricardo & Heroe ſuo, Victrix, ac Sacri Sepulcri Vindex futura: & nunc Oceani Mariumque Domina, orbemque totum Claſſibus Commerciiſque complexa, non optimè velint, non optima precentur Ligurum Genti fortiſſimæ feliciſſimæque & in Italia contra vicinos æmuloſque toties Victrici, & tantùm non Dominæ Venetiarum, celeberrimæ maximæque Reipublicæ, ac ſuperi Maris Inſularumque Reginæ, ſe ei ſub conditionibus ſubmittentis; & inſuper Piſanorum tan-

tandem ultrò ſe vobis dedentium, ſed ſeu pro Majeſtate, ſeu pro Modeſtia; quarum altera Virium, altera Ingenii ſibi imperantis, modumque, quod rarò fit, ſuæ Felicitati ſtatuentis, non leve indicium; Imperium & preces, vix Poſteris ac Minoribus creditum, non admiſſa, aut accepta? Foris Arma & Tropæa, per Hiſpanias, per Mauritaniam, per Aſiam, perque omnes quaſi Terrarum partes Veteribus Majoribuſque cognitas, contra Fidei Mundique Communes Hoſtes, diros impioſque Saracenos, circumlata: totumque Internum Mare, ejuſque ſinus, ipſumque Boſporum, & extremum Euxinum, Claſſibus & Triumphis plena: atque Monumenta rerum geſtarum ampliſſima ac perpetua, Minorica, Sardinia, Chius, Cyprus, Corſica adhuc Veſtra, in Sicilia Syracuſæ, in Eubœa Chalcis, in Creta Cydon, Urbes Gentium Dominæ: Almeria ac Dertuſa in Hiſpaniis, Tripolis, minorque Syrtis in Africa, Pera ad Boſporum, Amiſtra in Taurica, Civitates ad Mæotidem paludem, & ad Tanain in confinio Europæ Aſiæque; inque Aſia ipſa, ut de Tripoli, Byblo, Joppa omnium antiquiſſima taceam, Ptolemais,

& Cæſaria, Syriæ & Palæſtinæ Capita; Sidon, Tyruſque, navigationibus, divitiis, fama conſpicuæ, Marique nullo non ævo dominantes, Veſtræ omnes! Et ubi non auditum celebratumque Ligurum nomen, & cognita potentia? Ipſaque Hieroſolyma, Heroicis iſtis Temporibus, plurima per ſæcula, Sacrorum ac Religionis unica ſedes, Veſtris Auxiliis, Manibus Veſtris, Chriſto ſuo, ac Communi Domino, aſſerta redditaque: & in ipſo Sepulcro, ipſam ſupra Aram, viſa Genuenſium Inſignia; & in ſacratiſſimo Orbis loco, in memoriam Virium ſimul & Pietatis, à Balduino Rege & Victore, agnitum, cunctiſque Populis Sacrum adeuntibus, in exemplar propoſitum, præpotens Genuenſium Præſidium! Tantarumque rerum præmia, præter laudes æternas, ob defenſum propagatumque apud profanas rebelleſque Gentes, Chriſtianum Nomen; Commercia ubique culta, & quaſi Mercium Domicilia, Theodoſiæ, Peræ, Ptolemaide, omnibus tunc copiis abundantibus florentibuſque, conſtituta; & Genua tantùm non Mundi Emporium. At quaſi hæc omnia parum fuiſſent, altera quoque India, ſed longè opulentia ac am-

amplitudine præſtans, Novus planè Orbis, tunc primum à Cive ſuo Columbo detectus, & in noſtros uſus apertus, Veſtras quaſi nunc inter Provincias cenſeri, & Genuenſibus quodammodo vectigal eſſe: Ibi quidem Aurum eruitur, inde in Europam defertur; huc verò tandem navigat adpellitque; hæc Sedes Ultima, Divi Georgii ſunt Occidentis Theſauri. Quid majus ergo Vobis, Patres Conſcripti, quàm veteri Fama frui, & recentibus præſentibuſque Divitiis, Libertate ſimul ac Quiete, & in poſterum Securitate? Hanc nunc Populis præſtat Anglia, neque permittit illis amplius timere à Gente ſuperba, inquieta, & viribus nuper voto, quaſi totius noſtræ Europæ Imperium complexa. Angli & Genuenſes eaſdem Cruces extollimus erigimuſque, ſanguineas victriceſque: eundem colimus Patronum, Divum Georgium, ubique Victorem & Triumphantem: Nos Utrique, primi omnium Populorum Chriſtianam Fidem, ac ſacra vera & ſalutaria, publicè recepimus & profeſſi ſumus. Oh quanta mutui Amoris utrinque Argumenta & vincula! Neque Vobis noti ſumus ac horrendi incen-

diis & ruinis, ac toties fractâ, & violatâ fide: Veſtris credite Annalibus, & ſæpiùs etiam, fruſtrà licet ac infeliciter, contra libertatem conjurationibus atque armis motis. Non Sociis Socii, Dominorum inſtar, imperamus; non Principem, non Senatum, ut Famulos noſtros tractamus; aut pro nihilo, Jura Imperii, & Majeſtatem Reipublicæ habemus. Veneramur reveremurque Aurias Spinolaſque, veros Patriæ Patres & Liberatores, & Libertatis, utili Exemplo, cùm Bello, tum pace, Vindices ac Conſervatores. Valent Commercia ſemper in præteritum, Vobis apud Nos illa, ſemper & in futurum, tuta & ſecura. Æqui enim omnibus, nulliſque præterquam Hoſtibus, eiſque ſolùm publicæ Pacis ac Quietis turbatoribus tremendi. Exercitus Claſſeſque, foràs tantùm emittimus, prout Gentium Uſus, & Commune Bonum poſtulant; publico Mundi Veſtroque, minimè Noſtro inſiſtentes. Hæc ſola Virtus ferè ipſis incognita Romanis! Id erigendo afflictos populos, Jura Regum, majori antea vi ac poteſtate oppreſſo-

rum

rum asserendo ; Bataviâ iterum , Germaniáque , quæ Veteres Imperii Vices ac Majestatem ægrè sustinet ac tuetur , nuper servatis ; redditâ modò Veteri Domino Insubriâ, atque à Gallis erepto, suoque Principi vindicato Taurino; Amedeus etenim Eugeniusque , fortissimi Heroes, ultrò agnoscent quantum in ea parte Angliæ debeatur; Hispaniáque ipsâ , novi alteriusque Mundi accessione, tumente, oh quanta Rerum perpetua Vicissitudo! jamdudum domi Gallicum perpessâ Jugum, sociisque Anglis Bataviſque, quorum Ope demum excutit, conscіis ac testibus; atque cunctarum etiam Nationum , consensu ac admiratione , plausuque constat. Neque in alium finem impræsentiarum, ab Anglis Terra Marique ubique vincitur , ac Oceanus ipse, qua latè patet, & per Orbem diffunditur Universum , & Mediterraneum Mare , nostris Classibus navigantur implenturque, quàm ut Æqua Jura , miseræ tam diu, tantisque malis afflictæ Europæ, restituantur ; & Libertas ac Majestas sua, firmâ stabilique Pace, Bello tam pio ju-

sto-

ſtoque, & neceſſario quoque quæſita, Gentibus ac etiam Vobis illibata ſerventur. Non enim Nobis pugnamus, non Nobis vincimus; Armis his Victoriiſque, non Angli Anglorum, ſed Humani Generis, agimus negotium.

A N A-

ANAPÆSTI,

cùm ab Illuſtriſſimo

D. COMITE MAGALOTTI

SENATORIS FILICAIÆ

Odis Donaretur.

Florentiæ VII Kal. Junii. An. 1706.

VATICINIUM.

AMSTELODAMI,

M DCC X.

ANAPÆSTI,

cùm ab Illuſtriſſimo

D. COMITE MAGALOTTI

SENATORIS FILICAIÆ

Odis Donaretur.

Florentiæ VII Kal. Junii. An. 1706.

VATICINIUM.

ISidis * pridem Juvenis Cultor,
(Vatibus Iſidis nomen amicum!)
Quâque Britannæ Palladis Arx eſt,
Quæ Muſarum Decus & Patria,

1. Redecina, ſuâ fulgens Luce,
Medio curſu Solis ad inſtar:

* *Oxonium, ad ripam Iſidis Fluvii.* 1. *Oxonium.*

Studiiſque modum, famamque dabit;
Superis placuit, quòd regat Artes!
Memini lætus, tempore læto,
Libriſque vacans, & mihi ſolùm,
At venientis laudibus Ævi;
Non ſolicitus, metuens ipſe,
Craſtina Mundo, ferretne dies
Pacem, an Turbas, irrequieto:
Expers curæ, dominuſque mei;
Seu meditetur Gallia Regnum,
Sive Batâvi Libera Jura,
Tumidus quid Iber viribus abſque,
Aut Germanus ſe minor uſque,
Anglia vel quæ ſufficit Orbi,
Tibris trepidet, cujuſve Padus,
Ignavi vel Dominus Bætis!
Fatum ſed non condimus ipſi,
Superûm Rector ridet ab alto,
Quæ ſentimus ſomnia vitæ:
Alium à noſtro vectus in Orbem,
Patriaque procul, laribuſque meis,
Et colloquiis ſemper gratis,
SOMMERI, animâ cuncta moventis;
Mihi tum luces nunquam longæ!
Sed jamdudum munere preſſus,
Tempora nuſquam vindico propria,

Nul-

Nulluſque dies meus eſt ultrà!
Gentis cui res delata foris,
Se deſpecto, conſulat aliis;
Non ille ſuas agit, at partes
Populi, aut Domini, ſibi commiſſas:
Nulli fidens, timeat multa,
Cuncta cavebit.
Nunc movet animum quælibet aura,
Ventique leves, quique adverſi,
Gaudia multùm noſtra morantur:
Anxius atqui, pendens mentis,
Taurino iterum aut inhiet Gallus,
Iterumque novis excidet auſis?
Ad nihilum iterum recidantque minæ!
Neu cede malis, Victor Amedee,
Altior illis, parque ſecundis,
Aſpera rumpas, te Regna manent!
Sive Batâvos agitent rixæ,
Et committat mortuus ipſos
Princeps, ſed, dum vita ſinebat,
Spes afflictis unica rebus,
Belgæque ſalus deficienti;
Simul Anglorum ſtator & Orbis:
Hoſtibus at poſt Fata ſuperſtes,
Venerande tuis, Rex GULIELME!
Intraque annum Barcino, duplex

Paſſa obſidium; non ſine probro,
2. Detracta priùs, liberaque manu,
Malè captantis rerum Imperium!
Phœbuſque ſuus deficit ipſi!
Rhenus peccet quantumque mora;
Eugenio ſic Atheſis limes!
Inſubria gemens, viſa rebellis,
Mediolanum & præda Philippi!
Auxilia inter ſed tua, Princeps,
Militat æther, Superûmque Acies.
3. Modò concordes Pater & natus,
Interque Vagos Ignes primi,
4. Angli Hoſpitio ſuprà excepti,
Quo Sol noſter, renovat Mundum;
(Nunc Saturni ſtella benigne!)
5. Quam Lodoico dira minantur?
Ultrà, Heſperiæ nec premet arva.
Mincius at erunt Adduaque tui,
Omnis & ingens à fonte Padus:

Exul-

2. 12. *Maii. Defectus ſolis, & Barcinonis obſidio ſoluta.*
3. *Conjunctio Saturni & Jovis. 2. G. Arietis 24. Maii.* 1706.
4. *Aries ſecundum Arabes Anglia Aſcendens.*
5. *Noſtradamus. Cent.* 1. *n.* 50.

Aries Jovem, Cronumque monſtrabit ſimul;
Mutationes inde quot ſpecto, Deus?
Poſt ſecla multa, tempus heu! malum redit.
Quas, Celta, turbas, quaſque, Itale, tunc ſenties?

Exultantes quam benè fuſo
Sanguine ripas ire minores!
Ipſum & Xanthum ac Simoenta brevi,
(Ubi pars Belli, prælia inibant
Dii, & Deorum Genus, Heroes:)
Dura vincent Sturaque, rivi
Priùs incelebres, mox Francorum
Nobilitandi cladibus Amnes!
Terrâ at ut Undis imperat Anna;
Hincque incipient ſecula Magna,
Credita Genti, ſummaque Rerum.
Sic cecinerunt Druides olim,
6. Sicque Salonæ, Cœli interpres;
Conſcia noſtri, & Sidera Fati,
Belli nunc ac arbitra Pacis;
Galliaque horrens dabit augurium.
Seu nova metuens Italus bella,
Partibus aderit Venetus noſtris,
Inſtarque Phrygum ſapiens ſerò:
Rexque Eridanus ſocias undas
Volvet in Æquor.
Iber & tandem jus reſpiciens,
Carolumque ſuum primos illi,

(Ve-

6 *Noſtradamus. Cent.* II. *n.* 100.

In Anglia ſedes erit Magni Imperî,
Rerumque Domina ſecla perſtabit tria!

(Veterum Orâclis credere ſi fas!)
7. Titulo Magnus, cedet honores.
At quid nobis, quid ſibi curæ,
Dudum incerti Sarmata Juris,
Fræna pati Gens neſcia ſemper?
Orbe atque vagus, vel Scytha Cæſar?
Aut Europæ, Patriæque ſimul,
Gotthorum non fauſta Tropæa!
Aſt Arma, Ferox Hungare, ponas,
Ita Libertas emitur carò:
Conſuleque tibi, conſule Mundo!
Sacraque Phœbi, Themidiſque ferens,
Filia Recti, Diva Poëtis,
Tene unquam, Pax alma, reviſam?
Sed cùm fractus diſſilit Orbis,
Mihi, quàm, oh! felix, quamque quieta,
Nec opinanti ſtatio obvenit?
Tantùm has terras fugiunt bella;
Non ſecli, pax Principis illa!
Sperno tumultus, ſoſpite COSMO;
Dumque Arni hoſpes, nobilis Arni,
Pulchram medius, qui ſecat Urbem;
Conjuge Muſa, quà Filicaia,
Prior is noſtris, parque vetuſtis,
Latiis, fortis; dulcis, Etruſcis,

Nu-

7. Carolus a Carolo erit Carolo Magno Major.

Numeris; cunctis Norma canendi:
Cosmum Cives, seque, regentem;
Cosmum sanctos, sancta docentem;
Et Tutamen, Decus & Musis,
Unà secum tollit in Astra!
8. Seu cantet iter sacrum Ducis, ac
Ilvam lætè vota morantem!
Sistat Romæ sive verendum!
Ipsam & Romam, credite vati,
Aliud præter se mirantem!
Seria mittat, doceat lusus,
9. Venatus, quos Tuscia novit;
Populo gratos, Principe dignos,
Civibus ipsos, nec sine fructu!
Quid non præstat vis Filicaiæ?
Miscet versus ille severis,
Semper nectens Utile Dulci;
Curia nunc & carmina fundit!
Abeunt terræ, quò feror altus?
Mihi me incautum surripit iste,
Dum malè renuens, prodeo vates,
Ac alienis induor armis!
Ad damnatas artes revocor,
Mihi & oblitas pænè per ævum:

8. *Ad Cosmum III. M. Etruriæ Ducem Romam versùs navigantem Ode.*
9. *De venatu Passerum Ode.*

Puer abjeci, repeto ſenior!
Sic MAGALOTTUS tractat amicum?
Inſedit quem totus Apollo,
Studiiſque valens, conſiliiſque,
Et Tyrrheni Gloria Regni.
Animi quò Mens! Oh, miſerere,
Ipſe canentis, pereuntiſque.

VATI-

VATICINIUM
CARMINE HEROÏCO.

Kal. Jun. 1706.

IPſe Iſidis pridem cultor florente juventâ,
Vatibus oh Iſidis nunquam non nomen Amicum!
Hîc Pallas, propria dominatur in Arce, Britanna;
Muſarum, ante alias, Patria eſt hîc, & Decus ingens:
Effert os terris ſacrum Redecina refulgens
Luce ſuâ, medio curſu quaſi ſolis ad inſtar:
Illa dabit formam ſtudiis, famamque recludet;
Artes qua Superi, certaque in ſede locarunt!
Quam memini lætus, vitæ quoque tempore læto,

Cùmque libris ſolùm, ſolùm mihi cùmque vacabam
Sæcla animo volvens, & laudis captus amore;
Solicituſque parùm vicibus mutabilis ævi,
Craſtina lux turbas, vel munera ferret olivæ:
Ipſe mei Dominus, non mentem cura momordit,
Europæ an noſtræ minitetur Gallia Regnum,
An ſemper Batavis cordi ſint Libera Jura;
Viribus infirmo tantus cur faſtus Ibero;
Unde potens Numeris, Germania ſe minor uſque,
Anglia vel toti poterit ſuccurrere Mundo:
An Tibris trepidet, Padus accedatne Garumnæ,
Bætis & ignavus ſtupeat quòd Gallicus erret!
Non ſua mortali conceſſum condere Fata,
Nempe Deûm Rector, Cœli deridet ab Arce,
Qualia Nos ſentimus, inania ſomnia vitæ.
Diverſum à noſtro multùm, delatus in Orbem,
Et procul à Patria, cariſque Penatibus abſens,
SOMMERI alloquiis divulſus dulcibus, æquè
Mulcendis animis nati, natique regendis;
Cui res in melius licuit retuliſſe Britannas!
Tum placuere Dies, nunquam ceſſere moleſti,
Vellem & perpetuos! ſed demum munere preſſo
Tempora nec mea ſunt ultrà, neque ſuppetit hora!
Cui commiſſa foris Gentis Res Publica, tantùm
Ille aliis vivens, aliorum Commoda novit;
Non agit indè ſuas, ſuus eſt non ampliùs ille,

Sed

Sed ſolùm Populi partes, Dominive tuetur:
Confidat nulli ſapiens, metuatque futura,
Incumbens operi magno quin cuncta cavebit:
Ambiguam terret mentem nunc quælibet aura,
Atque leves venti, arcenteſque à littore puppes;
Gaudia quàmque diù, quàm ſæpe & noſtra morantur!
Pectore ſolicito pendens, & multa revolvens,
Anne iterum Gallus Taurino fervidus inſtet;
En iterum ad nihilum furiæ recidentque minaces!
Tu verò ne cede malis, Oh Victor Amede,
Maxima deſpectans, venturis parque ſecundis,
Aſpera perrumpas, olim te Regnâ manebunt!
Seu Batavos agitent rixæ, perplexaque juſſa,
Ignaruſque mali committat mortuus ipſos
Dilectus meritò Princeps, dum vita ſinebat;
Afflictis dudum, Patriæ Spes unica, rebus;
Sola ſalus Bello, ſola & fiducia Pacis:
Anglorumque ſimul noſtri qui Stator & Orbis:
Et vel adhuc nobiſque ſuis, hoſtique ſuperſtes;
Æternùm, GULIELME, tuis, venerabile Nomen!
Obſidium aut bis paſſa, intra annum, Barcino, probro
Non ſine capta priùs, neque nunc erepta furenti:
Cunctaque Terrarum votis complexus iniquis,
Credidit infelix, fraudi cùm Bætica ceſſit,
Unius Galli ſolem Ditione teneri,
Atque ſibi naſci famulum, famulumque reverti;

Maniolis, primo ſeu lumine, ſurgat Eois,
Fluctibus aut Cœlo emenſo, ſe condat Iberis.
Sol tamen ille ſuus jam tandem deficit ipſi!
Rhene, morâ quantum peccas, ut commoda turbas
Publica! ſic Atheſis fiet nunc meta Sabaudo
Heroi; quantum gemit Inſuber eſſe rebellis,
Et Mediolanum ſervari præda Philippo?
Eugenii verùm auxilia inter militat Æther,
Inque aciem ſuperi celeres ſocia agmina ducunt;
* Infenſos natum atque Patrem concordia jungit,
Conveniunt hilares, & amico lumine ſplendent;
Excepti ſuprà Hoſpitio, quo Fata Britannis
Currunt, & Phœbo Mundus renovatur ab Anglo:
Hic primùm radios Saturni ſtella benignos
Spargit, ſed quam dira Tibi Lodoice minantur?
Haud ultrà Auſoniæ Gallus premet arva Tyrannus;
Addua ſub tua jura fluent, & Mincius ingens,
Ingens atque à fonte ſuo Padus omnibus undis:
Sanguine ut hoſtili exſultant decreſcere ripas,
Lætanturque novo mergi ſic æquore campos?

Et

* *Conjunctio Saturni & Jovis. Menſe Maio* 1702, *in Ariete, Angliæ juxta Arabes aſcendente.*
Noſtradamus. Cen. 1: *n.* 50.

Aries Jovem Cronumque monſtrabit ſimul:
Mutationes inde quot ſpecto, Deus!
Poſt ſæcla multa, tempus heu malum redit.
Quas, Celta, turbas quaſque, Itale, tunc ſenties?

Et jam tempus adeſt, cùm Xanthum, cùm Simoenta,
(Qua ſciſſi in partes miſcebant prælia Divi,
Heroeſque, Genus Divûm, pugnaque priores;)
Incelebrata quidem, neque carmine cognita Famæ
Nomina, Stura brevi vincent ac Duria rivi,
Magni & devenient Francorum cædibus Amnes!
Non tantùm Oceano, Terris ſed & imperat ANNA,
Jam credo incipient hinc ſæcula currere magna,
Et ſperata dies, quâ nobis creditus Orbis.
Plena Deo Druidum quondam ſic turba canebat,
*Celtaque ſic; Cœli interpres, cui nota remotæ
Imperiique vices, & ſidera conſcia Fati!
Humani hæc Generis, ſervati & præmia recti!
Oh felix, Tuque Enſe potens, Tuque Artibus unà,
Anglia magna parens, Armorum atque Arbitra Pacis!
Datque fidem ſuperis, ſe Gallia faſſa minorem!
Europæ ſit parta quies, nil poſcimus Ipſi!
Cauta nimis Veneti ſeu Gens, otîque pudendi
Damna querens, pulchra pro libertate movebit
Agmina, & Eridanus ſocium decurret in æquor.
Hiſpanus Carolum jam ſpectat; læſaque jura;
Vatibus & unquam ſi præſcia corda futuri,
Eruet ille urbes Rhodani, gentemque ſuperbam,

Atque

* *Noſtradamus. Cent.* II. *n.* 10.

In Anglia ſedes erit Magni Imperî,
Rerumque Domina ſæcla perſtabit tria!

Atque pari titulo, magni quoque nomine ovantem,
Viribus & Fama multùm ſuperabit Iberus!
At quaſi nulla forent, ſequitur ſua Sarmata Bella;
Æqui non patiens, aliis modò, mox ſibi diſcors;
Incertuſque labans, & Regum præda duorum:
Orbe peragrato, quà & Ruſſus in arma vagatur,
Vindictamque Gothus ſpirans, ducenſque Triumphos,
Quîs Europa gemit, nolint ipſique Suëci
Civiles; aſt, Hunne ferox, compeſce furores,
Libertas tanti haud fuerit, Dominoque carere;
Gallica, non tua res, agitur certamine tanto,
Nudatoque, vides, inſultat Sequana Rheno;
Cur tibi communem differs, populiſque ſalutem?
Tene unquam cernam, Phœbi Themidiſque Sacerdos,
Oh vatum Dea Pax uſquam, rectique propago!
Undique dum Turbæ, rerum dum ſolvitur ordo,
Inſperata Deus nobis hæc otia fecit:
Rura beata nimis, quæ tantùm libera Marte;
Illa quies ſæcli non eſt, ſed Principis una!
Si valeat COSMUS, ſomnos non tympana rumpent
Rauca meos, Arni pulchra dum & verſor in Urbe,
Quâ FILICAIA canit, Divûmque Hominumque voluptas,
Vocem & formavit Tyrrheni Heliconis ad undas:
Par ille antiquis, linquens longèque recentes;

Qui

Qui fortis Latii numeris, & dulcis Etruſcis,
Ac ſine rivali cunctis ſit norma canendi;
Nunc COSMUM cives, quid majus? ſeque regentem,
Ipſos quique potis ſanctos vel ſancta docere,
Et cui Muſa favet, Muſiſque favetur ab illo,
Secum ſuprà effert, cognatis reddit & Aſtris.
Seu ſacrum deſcribit iter, ventoſque morantes,
Adventu Domini gaudens, non increpat Ilva.
Ipſum ſeu Romæ ſiſtit, Romæque verendum;
Dumque hæret Populus defixus Principis ore,
Nec vacat illi alios veteres memorare Triumphos,
Nec colit ille novos ſacrato carmine Divos!
*Venatus reducemve tenent, quos Tuſcia plaudens
Exhibet, & populo gratos, & Principe dignos,
Dum ſumit pœnas, & meſſi ſubmovet hoſtem,
Oh quò non poſſit ſe ſumma extendere virtus!
Fœdere in aſſueto miſcetur ut utile dulci,
Grataque Muſarum nectuntur gaudia curis,
Attonitum fundit dum carmina triſte Tribunal?
Altus quò feror, & miranti terra recedit?
Quàm mihi me incautum nunc ſurripit, atque renitor
Fruſtra, quando omnes agitante caleſcimus illo?
Et penitùs deſueta, exſtinctaque flamma reſurgit;
Damnataſque Artes, ævi ſed & Orſa remenſus,
Quas Puer abjeci, repetit maturior ætas!

* *Ode de Venatu Paſſerum.*

Talia non meritum Magalottus tractat amicum,
Unius insedit pectus cui totus Apollo,
Et sapere & fari magno concessit alumno,
Consiliisque simul Regum, studiisque præesse!
Quo vaga mens tendis, sedem aversata priorem?
Tuque tui miserere canentis, Tu pereuntis!

A D

AD

MARLBURIUM DUCEM

copiarum Britannicarum ſociarumque, ſub auſpiciis

ANNÆ REGINÆ,

in Belgio Imperatorem.

EPIGRAMMA.

PErfidus ad Scaldim totus dum vincitur Hoſtis,
Computat atque ægrè Belga Tropæa Ducis,
Tyrrhenam properare velim tunc lætus in Aulam,
Victricis Patriæ nuncius ipſe meæ:
Audit, miraturque ingentia facta Britannûm;
Talia, quæ vates non cecinere ſui.
Non opus Eloquio, dictorum aut Arte magiſtra;
Debeat his palmas Græcia vana ſuas.
Nuper ita & tumidos implevit Gallia Faſtos;
At quorum Lodoix nunc meminiſſe dolet!
Non Romana priùs ſic crevit, & Anglica Virtus;
Haud verba, Heroës, ipſa ſed acta probant.

Inſcriptio in Libros DIONYSII *Halicarnaſſenſis*

AD

ANTONIUM MARIAM SALVINI.

In Obſequii . Et . Amicitiæ .

Teſtimonium .

Hæc . DIONYSII . HALICARNASSENSIS . Opera.

Oxonii . Edita .

Eloquentiæ . Fideique . Hiſtoricæ . Exemplum .

Antiquitatum . Romanarum . Monumenta .

Artis . inſuper . Criticæ .

Tentamina . an . Judicia :

Secum . ferentia .

ANTONIO . MARIÆ . SALVINO .

Literatura . Græca . Romana . Etruſca .

Omnigena .

Erudito . atque . Inſigni :

Philologo . Oratori . Vati :

HENRICUS . DE NOVA VILLA .

Florentia . Salvino . Muſis . Diſceſſurus .

At .

Pulchræ . Florentiæ . Boni . Salvini .

Et .

Doctæ . Cum Doctis . per Sexennium . Conſuetudinis :

In perpetuum . Memor .

Gratus . Mœrenſque .

Mittit .

MDCCX.

AD MAGNUM DUCEM.

COSME, Pater Patriæ, Noſtris & amice Britannis,
Hæc, facilis, cultùs accipe ſigna mei:
Ubertas Livii non lactea cernitur uſquam,
Arguti ſenſus, Medicis aut Taciti:
Nuda, ſine Arte, legis Gentis Monumenta Britannæ,
Quaque Fides ſolùm ſimplicitaſque, nitent:
Non alio cerni, Martis velit Inſula, vultu,
Haud Opus aut aliter Scriptor & ipſe ſuum.

Quale facis Carmen! Muſis & Apolline dignum:
Quale mihi Carmen, medio de fonte Leporum,
Tuſcorum in Patriâ, puroque ſub æthere natum!

Tho. Rymer

AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM

LEGATUM

NEVVTON

ODE.

QUalis altricem Philomela dextram,
Prætulit nido bene quam paterno,
Luget amotam, tremit ægra pennis,
Ore tremente;
Talis, imbelli citharâ, ſub ipſo
Muſa diſceſſu trepidans Amici,
Dat modos incompoſitos, ſonoque
Languet in omni.
Haud ſemel mœſtas cecinit querelas,
Haud ſemel vanas; fugiens, Etruſco
Quas mari trades, mihi nec timebis,
Certus eundi.
Ah! meæ te partem animæ, Britanni
Dum fovent læti reducem, Latinis
Nec moror charus, neque jam ſuperſum
Integer hoſpes.

Al-

Almæ quæ nutrix fuerat juventæ,
Sit meæ cuſtos utinam ſenectæ,
Præbeat ſortem melioris ævi,
Præbeat urnam.

AD AUCTOREM
EPIGRAMMA.

Alter Newtonus docuit, quid Corpora poſſint.
Aſt animi vires qui docet, alter adeſt.

Gul. Burnet.

PER LA PARTENZA DALLA CORTE DI TOSCANA

Dell' Illuſtriſſimo Sig.

ARRIGO NEVVTON

Inviato Straordinario della Maeſtà della Regina
d' Inghilterra alla Suddetta Corte.

S O N E T T O.

SOvra il Toſco Parnaſo io vidi un giorno
Turbarſi il Cielo, e non più Apollo in feſta,
E gir le muſe in ſchiera atra, e funeſta
A far tra 'l duolo, e tra i ſoſpir ſoggiorno:
L' orecchie io porſi sbigottito intorno,
Ove più folta era la gente, e meſta,
Quando il nome d' Arrigo in quella, e in queſta
Parte ſonò, ma non di gioja adorno:
E voce udj, che ancor ſi lagna, e grida:
Oime! che a noi l' eſtrema Anglia il dimanda,
Prima di ſuo valor nutrice, e fida.
Ed ecco innanzi ſera, in ogni banda
Notte ſi feo, e al Ciel n' andar le ſtrida:
Ahi troppo acerba notte, e memoranda!

Di Salvino Salvini
Conſolo dell' Accademia Fiorentina.

Illuſtriſſimo Domino, Viroque Eruditiſſimo

HENRICO NEVVTON

VINCENTIUS DE AMBRA.

HÆC Tibi non vanam præſtantia verba ſalutem
Fert è Feſuleis Litera miſſa jugis.
Alloquium ſterilis, Vir maxime, perlege Muſæ,
Quam tuus audacem nunc jubet eſſe favor.
Scilicet in patrias quando rediturus es oras,
Cogitur obſequio Te comitante ſequi:
Teſtarique Tibi, mea quantus lancinat angor
Pectora, diſceſsu ſaucia facta tuo.
A Te, crede mihi, nullo ſpectanda decore,
Hactenus erubuit noſtra Camœna legi.
Barbariem Latio trepidans miſcere lepori,
Fundere Romanas ſi voluiſſet opes;
Cenſuræ ſubtile tuæ metuebat acumen,
Quo caſtigatus judice ſermo fluit.
Victus amore timor nunc eſt. Clementia (finge)
Securam veniæ non ſinat eſſe tua.
Docta tamen malit minùs, atque diſerta videri,
Quàm gratam officii non retuliſſe vicem.
Certè inſperato properat per devia greſſu,
Atque ſuis majus viribus urget opus.

Nem-

Nempe reluctanti mirum eſt quòd carmina venà
Congerat hæc rudibus qualiacunque notis.
Nam licet haud nobis ſeceſſus & otia deſint,
Sit Vatum quamvis ingenioſus Amor;
Sed mihi nullus agit præcordia languida fervor,
Sed venæ fluxus, ſed vigor omnis abeſt.
Tempus erat, quando calidæ mihi flore juventæ
Mulcebat doctam Caſtalis unda ſitim.
Tempus erat, Latios licuit cum tangere nervos,
Et caſtigatam ſollicitare chelym.
Illa (fatebor enim) nuſquam revocabilis ætas,
Viſa eſt facundis me annumerare viris.
Quippe aderant faciles mihi tunc in Carmina Muſæ,
Præſentem Phœbus ſufficiebat opem.
Si grandi Heroas libuiſſet tollere verſu,
Celſa aderat cœptis Calliopea meis.
Malueram Aeſchyleo componere verba cothurno?
Illico Melpomene dante Tragœdus eram.
Malueram tenero modulari Phyllida plectro?
Obtulit argutas blanda Thalia fides.
Arriſit Latio quidquid perſtringere verſu,
Fertilis in carmen Muſa operoſa fuit.
Omniaſed fugiens, animum quoque ſurripit ætas,
Et ſua deſtituit viſque vigorque ſenes.
Ut torpent reſides mihi nunc in Carmina vires!
Ut venæ fluxus, qui fuit ante, riget!

Hei

Hei mihi ! Dedidici ſua penè vocabula rerum,
Certaque verborum me propè ſenſa latent.
Obluctans calamum tractat manus, atque latinè
Scribere nunc aliquid res mihi viſa nova eſt.
Sic, qui plena piger ſtetit ad Præſepia, tardus
Pulvere in Iſthmiaco, nec benè currit equus.
Sic, quod non tractas, eſtur rubigine ferrum.
Sic ſterilis torpet, ni renovatur, ager.
Sic reſidis languet vis pigra, Henrice, Camœnæ,
Ac deſueta ſemel ſegnis ad Arma venit.
Indiget auxilio virtus virtutis, & uſque
Ars, ut ſtare queat, poſtulat artis opem.
Illa vel illa diu jubeo ne ceſſet: agendo
Utraque vim duret, perficiatque ſuam.
Delentur, quæ non urges, exordia: rarò
Quæ ſubeunt humeri pondera, ferre negant.
Cura probat pulchros tantùm repetita labores:
Ipſe fides hujus maxima vocis ero.
Scilicet incaſsum, vir docte, Poeta ſalutor,
Aonium rarò permeditatus opus.
Quæ mens tractavit diuturno ſedula niſu,
Iſta vel invito noxque, dieſque refert.
Hunc, Henrice, tibi tentaram ludere verſum.
Pro verſu nobis ſcripta Matheſis erat.
Occurrunt noſtræ dilecta vocabula linguæ,
Puncta, Superficies, Circulus, atque Quadrans:
Rhom-

Rhomboides, Coni, Quadrangula, ſphæra, Cylindri,
Et quæ prætereà verba Matheſis habet.
Hæc animum ſcalpunt nobis, penetrantque medullas
Tempora nam Studii longa tulere mei.
Nomina prætereà Muſis inimica miniſtrat
Exoſa aonium Philoſophia melos.
Hæc me cunctarum primordia condita rerum,
Et cœli mores, ingeniumque docet.
Mirari æterni juvat immortale Magiſtri,
Naturæq; ingens omniparentis opus.
Me rigidum, fateor, faciunt Studia iſta, tuoque
Iſtius eſſe reus criminis ore feror.
Semper uti flueret mihi Carminis impetus idem,
Nec querulus vena deficiente forem;
Debueram aonias inviſere ſæpius oras,
Et non adverſas excoluiſſe Deas.
Quidquid id eſt, rigor ille placet, placiturus & error
Hic mihi, vel graviùs ſi nocuiſſet, erat.
Aſt odit triſtem ſcribendi oblita laborem,
At læſo repit clauda Camœna pede.
Culpa mea eſt, fateor: noſtræ at ſuccurrere culpæ
Ingenita ſenibus garrulitate juvat.
Quas deſueta mihi non dat facundia vires,
Quos mihi non præſtat languida Muſa modos;
Hos, Henrice, mihi verboſa Senecta miniſtrat.
Hæc me facundum, qua licet arte, facit.

Hinc

Hinc pugnare loquax mecum ſi forte videbor;
Hoc ſecum bellum garrula Muſa gerit.
Illo tu tantùm mea carmina perlege vultu,
Subdere Amicorum quo tibi corda ſoles.
Inſpice in his animi certum te pignus amantis,
Cordis in his noſtri candida ſigna lege.
Mella Tibullæi ne quære leporis in illis,
Neſcius ætatis ne videare meæ.
Carmen erit, doctæ malè quod reſpondeat Arti,
Quod tibi in aure ſonet non bene, carmen erit.
Luctet at ut cultum nequicquam ducere verſum,
Difficilique via Muſa ſenilis eat;
Illa tamen, patrio quando te reddere cælo,
Nataleſque paras rurſus adire plagas,
Vult longam geminare tibi, Vir docte, ſalutem,
Et dixiſſe ſuum, qua valet arte, Vale,
Eſt ſiluiſſe nefas te diſcedente. Silebo
Uuns ego, quando cętera turba dolet?
Non ego, crede mihi, modò juſtum Henrice, dolorem,
Vel ſi fote velim, diſſimulare queam.
Diſſimulem, mihi partem animæ de pectore tecum
Si, in Patriam reditum dum meditare, rapis?
At donec licuit præſentes cernere vultus,
Et gravibus verbis, alloquioque frui;
Jacturam noſtri, furtum vel amabile cordis,
Callidus arte ſua diſſimulavit Amor.

O uti-

O utinam, Vir docte, minùs mihi cognitus esses,
Nec tanto nobis junctus amore fores!
Hi me non feriant, te discendente, dolores.
Nam dolet, heu! tandem dissociandus amor.
Nulla ergo esse queat nobis diuturna voluptas,
Irasci votis cogor & ipse meis?
Crede mihi, notus dum sis, adamere necesse est.
Atque tua cunctis nobilitate pates.
Nempe tibi Phœbus, sua Phœbus carmina donat,
Quæ Venus ipsa legat, quæque Minerva probet.
Suspicit hæc quisquis, Parnassi, ad culmina anhelat,
Pieridumque sacris gaudet adesse choris.
Inde suos inter te Flora cooptat Alumnos,
Etrusci residet quos penes oris honos.
Tu partem impositi tandem feliciter imples
Muneris, atque Aulam suspiciendus adis.
Dirigit usque tuos sapiens Prudentia gressus,
Consilium usque tibi resque, locusque ferunt.
Inde tibi laudum seges inclyta nascitur, inde
Est tua Principibus vita probata Viris.
Principibus placuisse Viris non ultima laus est;
Hac, Henrice, tuus laude superbit honor.
Unus (finge) probet Thusca te Cosmus in Aula,
Proh tua sub quanto Judice facta probas?
Te virtus, mihi credis, facit matura Catonem:
A te durities una Catonis abest.

Novi

Novi ego, qui longo factus tibi proximus uſu,
Ingenium didici quàm tibi mite foret.
Nos Fora viderunt pariter, videre Lycea;
Unica nos vexit ſæpe quadriga duos.
Viſa mihi quoties tecum illa vel illa loquenti
Ocyor aſſueto præteriiſſe dies.
Seria multa mihi ſuetus narrare, dediſti
Jucundis mecum tempora multa jocis.
Hauſimus & pleno Cocolate tumentia ſæpe
Vaſa, queant gelidi queis caluiſſe ſenes.
Viſere quin etiam non dedignatus agreſtem,
Feſuleo ſurgit quæ mihi rure, Domum,
Inſolita noſtros impleſti luce receſſus,
Qui Dominum norant condere pene ſuum.
Proripis iſta mihi ſed tecum gaudia, quando,
Henrice, in Patriam, non rediturus, abis.
Regia Juſſa aliis onerant tua pectora curis,
Te Titulis augent Regia Juſſa novis.
Majores reduci tibi præparat Anglia Faſces.
Sunt ea virtuti, debita dona tuæ.
Jam tibi Londinum plaudet, Populique per urbem
Monſtratus digito prætereuntis eris.
Mox ego ſed viduam ſine te, Vir docte, ſenectam,
Et ſteriles ducam me minor ipſe dies.
Sculpta mihi gemina nitet ærea lamina parte.
Iſta tuæ nobis dona tulere manus.

Au-

Auguſta inde graves imitatur imagine vultus,
Inde expreſſa tuæ Symbola mentis habet.
Hæc ego luſtrabo quoties ſimulacra: valete,
Dilecti, dicam, candida Signa Viri.
Me tamen extra ipſum fruſtra Simulacra requiram,
Subiiciant vultus quę mihi in ære tuos.
Iſta mihi ante oculos ſemper verſetur Imago,
Hæc memori ſemper pectore Signa geram.
Da mihi, ſiquid ea eſt, hebetantem pectora Lethen:
Attamen haud potero non meminiſſe tui.
Tu fidi officium non dedignere ſodalis,
Siſque, Henrice, mei, quod facis, uſque memor,
Sic tua ſucceſſus habeat Fortuna perennes,
Currat inoffenſo ſic tua vita pede.
Sic tibi clauſa ſuo quod portat Epiſtola verbo.
Dent, precor o! Superi ſemper habere. Vale.

In diſceſſum Illuſtriſſimi

D. HENRICI NEVVTON
FLORENTIA

Epigramma.

Nevvton abit? fallor. revocare Britannia certat!
At ſint ex animo nullus abire ſuo.

Alexander Pol. à S. Sigiſm. Schol. Piar.

Correctio pag. 23. 6. Dura *lege* Duria.

10352261

Multi quidem à typis errores, (longiùs enim aberat Auctor) circa dipthongos, ſc. ut in ſequentibus, Cœlum, Sæculum, pænè, circa accentus etiam, & interpunctionem, ac præſertim quoad ſemicolon; ſed quæ ſunt majoris momenti, infra legas, precor, & emendes.

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 3. lin.10. quæ	l. neque
pag. 3. lin. 3. decòri	l. decori
pag. 3. lin.19. Reipublicæ	l. Reſpublicæ
pag. 4. lin. 8. ſi quæ	l ſique
pag. 7. lin.10. quandoque	l. aliquando
pag. 14. lin. pen. bucephalo	l. Bucephalo
pag. 16. lin. pen quandoque	l. aliquando
pag. 19. lin.23. quæriturvæ	l. quæriturve
pag. 24. lin. 3. Eloquentia	l. Eloquentiæ
pag. 25. lin.1. infæliciter collocari	l. infeliciter collocavi
pag. 25. lin.23. Averanus	l. Averanius
pag.27.lin.4. inter juris delicias te ne	l. inter ruris delicias tene.
pag. 31. lin.23. qualis	l. qualis qualis
pag. 33. lin. 2. Stepfani	l. Stephani
pag. 33. lin. 4. incepi	l. incæpi
pag. 35. lin.10. diſſimiliſque!	l. diſſimiliſque! vix
pag. 38. lin.22. Hæroes	l. Heroes
pag. 48. lin. antep. repreſentat	l. repræſentat
pag. 49. lin. 6. penitùs	l. penitius
pag. 49. lin. 4. Heres	l. Hæres
pag. 50. lin. 6. interquæ	l. interque
pag. 52. lin. 4. Meliorcucci	l. Migliorucci
pag. 52. lin.12. quandoque	l. aliquando
pag. 56. lin.21. ſocratici	l. Socratici
pag. 58 lin. penult. Florentia	l. Florentiæ
pag. 59. lin. 7 Ex præfecto	l. Expræfecto
pag. 66. lin.11. conditum	l. condìtum
pag. 75. lin.21. ſecundo	l. Secundo
pag. 78. lin. 6. utemur	l. utamur
pag. 79 lin.15. ſeu nunc	l. ſeu ut nunc
pag. 80. lin. 5 Republica rei	l. Republica
pag. 81. lin.14. 1706.	l. 1707.
pag. 82. lin. 5. unius	l. unus
pag. 90. lin. 4. certò	l. certè
pag. 92. lin. 2. inſervi	l. inſerui
ibid. lin.16. Voodvvardiani	l. VVoodvvardiani
pag. 94. lin. 2. nobiſmetipſi	l. nobiſmetipſis
pag.105. lin.12. Lirici	l. Liri
pag.111. lin. 7. conditis	l. condìtis
pag.111. lin.22. ſubſidet	l. ſubsìdet

pag.114. lin. 4. diceſſu	l. diſceſſu
pag.119. lin.19. Nerutoni	l. Nevvtoni
pag.120. lin.19. Cargofilum	l. Caryophilum
pag.124. lin. 8. Gentes,	l. Gentes, quæq; nunc tantùm exerit caput,
pag.127. lin.22. ne utiquam	l. neutiquam
pag.128. lin. penult. & ult. quum nec horum vita deſit ad laudes, quod provocare licet	l. quum illorum vitam ęmulętur recentes, atque horum certè vita
pag.131. lin. ult. Caryofalum	l. Caryophilum
pag.133. lin.16. palatii	l. Palatiis
pag.134. lin.21. Tunc	l. Tune
pag.136. lin. pen. quamdam	l. quendam
pag.138. lin 20. parem	l. Parens
Ibid. lin. 5. noſtri	l. noſti
pag.139 l. 2. onora	l. fortè
pag.139. lin. 2. meoque	l. meæque
pag.140. lin.12. in in	l. in
pag.141. quandoque	l. aliquando
pag.142. lin.11.12.13. ut olim ut & alibi, qui tamen jam quoque ubique, Romæ Mathematici retinentur prævalentque	l. ut olim Romæ, uti & alibi, Mathematici, qui tamen jam quoque ubique, retinentur, prævalentque.
pag.144. lin. 5. quandoque	l. aliquando
pag.146. lin.12. Santi	l. Sancti
pag.147. lin.15. fieri	l. feri
pag.149. lin. 8. Magiſtris	l. Manuſcriptis
pag.151. lin.15. Turba	l. Turbæ
pag.156 lin. 2. Grandio	l. Grando
pag.163. lin.11. ipſorum	l. ipſorumque
pag.165. lin. ult. exitii	l. exitio
pag.167. lin. 2. reperiuntur,	l. reperiuntur; atque
pag.170 lin. pen. adiſpici	l. adipiſci
pag.175. lin. 7 ea propter	l. eapropter
pag.176. lin. 7. Eligiaci	l. Elegiaci
pag.179. lin. 7. Romanus, ſimul	l. Romanus. Simul
pag.180. lin.19. ſicut	l. hoc, ut
pag.184. lin. 1. Doctiſſimo	l Doctiſſimoque
ibid. lin. 9. Epiſtolarum editione	l. Epiſtolatum Sancti Ignatii editione
pag.186. lin.10. ille. pœnè	l. illæ. pænè
pag.188. lin.19. ſuperaret	l. ſupererat
pag.189. lin.18. elteramque alteram	l. alteramque altera
pag.189. lin.20. Eloquentiæ.	l. Eloquentiæ atque ſimul veritati
pag.192. lin. 9. axcederet	l. excederet
pag.192. lin.12. læntè	l. lentè
pag.199. lin.14. ipſi	l. ipſis

10352261

10352261

10352261